Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/ilipsisatvrnaliv00lips

I. LIPSI

# SATVRNALIVM SERMONVM LIBRI DVO,

*Qui de Gladiatoribus.*

Nouiter correcti, aucti, & Formis æneis illustrati.

ANTVERPIAE,
Apud Christophorum Plantinum.
CIↃ. IↃ. LXXXV.

AD

# NOBILISSIMVM AMPLISSIMVMQVE V. AVGERIVM GISLENIVM BVSBEQVIVM.

LIBROS, quos de Gladiatorum priſco ritu diu conceptos nũc profero; lucem adſpicere volui, Vir nobiliſſime, in nomine tuo. Volui, imò debui. ſiue amoris tui cauſſa, quem in præſentem abſentemq. perſeueras: ſiue virtutis doctrinæque, qua iure omnium bonorum oculos in te conuertiſti. certè meos. Nempe tu ille es, qui res & conſilia tractaſti Imperatoris non vnius. tu ille, qui ſummis de rebus ad ſummum Principem legatus, inter ipſos hoſtes cognomen repperiſti Boni. Scilicet vt radij ſolis in ſordes & caligantia loca coniecti, illuſtrant, non inquinantur: ſic tu, inter feros illos ſqualentéſque animos, reſplenduiſti nihilominus vera virtutis

tuæ luce. Et prudentiam ſileo doctrinamque: votum hoc tantùm interpono, vt ſimiles tui conſiliarij contingant patriæ, quam Fata volent eſſe ſaluam. Vidimus nuper libellum duplicem Itineris & Conſilij tui. libellum: ſed qui, meo animo, ſcholas diſſertationesque ſuperat multorum ſapientum. Breuia omnia, fateor: & eò placent magis, quia incluſa prudentia, non oſtenſa. Quin genus ipſum dictionis (etſi id minimè inter tuas curas) priſcum adſtrictumque, ſententiis occultum: &, quod verè inuideo, ſubtilis breuitas innata tibi, nobis adfectata. Sed ne fræna ingenio meo laxem in hoc campo: munus à me cape, Vir maxime; non pretium, vt me deuinctum liberem, ſed pignus vt obſtringam. Nec enim exigua hæc, & de ludis verè ludum, referendæ gratiæ eſſe volumus, ſed teſtandæ. Quamquam huic ipſi operæ aliquod pretium fortaſſe erit apud eos, qui veteri germanaque doctrina non perfuſi ſunt ſed tincti: qui hac velut face illuſtratum iri infinitos ſcriptorum locos non inuiti fatebuntur. Nam nouos iſtos &, vt ſic dicam, muſteos homines, iure ſperno ab

no ab his libris: qui, tamquam in vænalibus, loqui adhuc Latinè tentant: quiq̃ue magni & beati sibi videntur in præceptiunculis & bracteatis aliquot nugis, quas oculo recto nõ digner adspicere. At mihi prisca placita; & vt ille apud Comicum,

*Qui vtuntur vino vetere, sapientes putat*: sic nos, qui doctrinâ. Vale. & me ama, hæc tuêre.

# CARMEN
# IN LIBROS SATVRNALIVM
## AD IACOBVM MONAVVM.

*Saturnalia iô, nouum iô libellum*
*Rarum, ô Jupiter! & laborioſo*
LIPSI *pumice nuper expolitum:*
LIPSI, *quem Latij intimos receſſus*
*Scrutantem Batauæ ſtupent Camænæ.*
*Priſci temporis en redit venuſtas*
*Priſci temporis en redit voluptas,*
*Et faſti veteres & obſoleti,*
*In lucem redeunt ioci ſaléſque.*
*Priſcus mox etiam redibit annus.*
*Nil pulcrum, niſi quod probârit Oſcus*
*Et ſcabræ Lapidum notæ loquuntur.*
*At priſca ô etiam fides, & aurêa*
*Saturni illa reciprocetur ætas*
*Tot poſtliminio expetita ab annis.*
*Sed fruſtra omnia. Nam Monaue mores*
*Narramus veteres; nouos probamus,*
*Et linguam haud animos nouos paramus.*
*Nos ergo interea, Monaue, dum ſors*
*Priſci delicias reducat æui,*
*Priſci reliquiis fruemur æui:*
*Saturnalibus optimo dierum,*
*Saturnalibus optimo librorum.*

# IVSTVS LIPSIVS
## CHRISTOPH. PLANTINO
### S. DICO.

AT tu fidem etiam meam appellas; & vbi Satyræ, inquis, vbi Funus? Quid tibi vis, mi Plantine? an vt ego sim funus? Si nescis, hoc agitur. Difficile enim dictu creditúque, quas turbas mihi dederit Satyra illa prior, parum herclè liquido auspicio emissa. Clamores, conuicia, sibili. Alius, Quis iste qui sine vllis suffragiis Censorem publicum agit? qui inuidiam sibi non hominum, sed gentium parat? Insanit homo. irruit in se ipse, & segetem incîdit suæ famæ. Alius, Me apertè læsit: alius, Me schemate percussit. & ad summam ea dicta, imò scripta de misella Satyra, quæ sine rubore nemo ex ergastulo audiat cum inusta fronte. At ego fatuus etiam gratiam exspectabam ab nouitate scripti. ignarus scilicet deliciarum huius æui: qui eò iam venimus, vt nec vitia nostra, nec remedia ferre possimus. Atqui olim Seneca in Claudium ludere potuit, non cum sale solùm sed cum morsu, idque filio & coniuge superstite, imò regnante: mihi venia opus, leuiter & leniter ineptias tangenti critici gregis. Quid enim castigatione illa mollius? adeò vt lenitate nimia prævaricatus videri possim publicæ caussæ. Reuera enim lusi, non læsi: & ostendi vulnera, non impressi. At enim tectè & colore quodam nos tangis, inquiunt. O non interpretes meæ mentis, sed diuinos! qui non dictum mihi, non scriptum, fortasse nec cogitatum, tamen id sciunt. Per colorem ego te? qui ne nunc quidem, cuius coloris sis, scio. Vnus aut alter perstricti

*ſtricti mihi, fateor. ſed adeò non tecta aut obliqua petitione, vt nominauerim etiam, & percuſſerim, quod dicitur, manu recta. In te ſi culpa ſimilis: bene & ingenuè, quod agnoſcis. tamen quid ego poſſum, ſi telo quod in alterum ieci tu occurris, & induis te tua ſponte? At enim Principum ius imminutum iui. Cedò vbi? quian' poëſim manare negaui ab Auguſto fonte? Idem nunc nego. & honores, titulos, quæque alia fortunæ ſunt, tribui poſſe à Principibus fateor: ingenium doctrinamq. non eripi, non dari. En crimen, quod dignum ſit tunica moleſta. Nec enim aliud vel fiduciis expreſſerint ex omni eo ſcripto. Itaque, vt illuc redeam, mi Plantine, fruſtrà me vocas in turbidam hanc arenam. diuerti in aliam, cum voluptate magis, & ſine noxa. Ad ludos, inquam, me dedi & ſpectacula priſca. quæ deſita & ignota noſtro æuo retraxi, & propoſui non auribus ſolùm, ſed oculis, neque vt legi, ſed pænè dicam ſpectari poſſint. Hoc ipſum erit fortaſſe qui ſpernet, vt leue. ſed ſpernet, non culpabit. Mihi autem ſatis, vt hanc inquietam manum & anceps acumen ſtili conſumam in re ſi non magnæ famæ, at non malæ. Nullius intererit quid de Secutore aut Myrmillone delirem: & ridebit aliquis in his nugis, non ringetur. Denique extra iudicium & proſcriptionem fuero. Ius ſcribendæ Satyræ Apollinari alicui relinquam, qui id à * Principe impetrabit. Tu, vir amice, pro Satura Saturnal hoc habe, pro Funere Munus: & tuam meamque cauſſam ages, ſi opus erit, apud eos qui & hæc & memorias omnes veteres non periſſe vellent, ſed interiſſe. Vale.*

* *Sidonij lib. 1. epiſtolam XI. vide. quò reſpexi.*

I. LIPSI

I. LIPSI

# SATVRNALIVM SERMONVM

## LIBER I.

### CAP. I.

*Occasio & origo horum sermonum.*

MENSIS December erat, & per febriculam valetudo mihi non bona. Itaque visendi causa ad me venerunt Victor Giselinus & Ianus Lernutius familiares mei. Et post salutem, Lernutius: Iámne melius? ait. Huius quidem operâ, inquam ego. certè, Victor, hanc noctem clementem & cum quiete habui: & omnino commodior esse mihi visus sum post hesternam medicinam. Ita facilè censebam, ait Victor. sed cedo venam, sodes, vt tangam. Cùm tetigisset, hilariore vultu, Benè habet, inquit: respexit nos Hygeia. Sed duo etiam sunt, à quibus procul habendus es, Lipsi, libri & curæ. quæ nisi vitas, seriò dico, teipse euitas. Ego cum risu: Ab altera quidem caussa immortalis sum, Victor. Nam libros, per hæc tædia temporum, summis digitis vix tango. Curarum, fateor, largiter est: & publica siue priuata respiciam, bona earum vbique seges. Atqui scito, ait Victor, non ab alio quàm curarum igne magis

interfici vitalem illum in nobis fontem. At enim patria & nos periclitamur. Scio. sed tu egoque habenas scilicet temperabimus publici fati? Curæ sint hæ curæ illi, qui supra nos curat. Tu Anaxagoram cogita, qui increpanti cuidam ὀδὲν σοι μέλει σ πατρίδος; εὐφήμει, ἔφη. ἐμοὶ γὰρ καὶ σφόδρα μέλει τῆς πατρίδος, & simul cælum ostendebat. Hæc enim reuera patria nobis. & vt radij solis per terram sparsi, à cælo & in cælo tamen sunt: sic noster animus quanquam in terris, humilia ista spernat, versetur que apud originem sui. Dicebat hæc Victor; & ecce puer nuncians duos de via, vti apparebat, adueniſſe, quibus opus esset me conuento. Surrexi. & iam ad vos redeo, inquam; ne graue sit tantisper solos esse ad hunc ignem. Et simul innui puero ligna iniicere, & largius exstruere focum. Ecce autem exiens video ad fores Duzam, Pighiumque. Cùm trepida gratulatione collum iis inuasi, Et vos estis? inquam. ô sperati mihi optatiq. saluete. Vnde autem, & quò per hanc anni hiemem? Nec enim temerarium est, credo. Ego quidem è Batauis, ait Duza; & tua vnius causſa. Pighius hic à Veteribus suis: iunxitque nos in via bonus aliquis deus. Mihi certè bonus, inquam: & iam viuo valeoque, cùm vos teneo. Sed intremus, quæso: & date duobus istis pariter quod gaudeant. Simul Victor & Lernutius ad limen facti obuij, atque inter se amiciſſimè complexi sunt. Sed diuelli ego, Et heus, heus, inquam, sedeamus: neu diutiùs ignem inuidete istis, qui stupent certè à curru. Nam herclè strictum hodie frigus, &, vt ille ait,

Jam

*Jam prata canis albicant pruinis.*

Imò iam calemus, ait Duza, apud te quidem noſtrum ignem. Sed quid morbi fuerat, ſodes? Nam de inualetudine tua Antuerpiæ accepimus à noſtro Plantino. & mehercules etiam palles. Non nunc quidem, inquam ego. nam vos me hoc gaudio dediſtis in ruborem. Tamen febricula fuerat, in qua oppugnanda noſter hic verè Victor. Sed ſedete, agite, mi hoſpites. vetus verbum noſtis, Romanus ſedendo vincit. Cùm ſediſſemus, Quàm ſaluè autem omnia in Batauia inquam, mi Duza? Priuatim omnia, inquit. Nam de rep. quid dicam, niſi maria malorum? Melius ominare, inquam. & nónne per hanc pacem ſedauit illa tempeſtas? Caput mouens leuiter Duza, Vereor, inquit, vt paucorum modò dierum Alcedonia illa ſint, non firma tranquillitas. Facem exſtinctam ſi igni admoueas, vehementius accenditur: ſic poſitum hoc bellum metuo vt inſurgat & acrius recrudeſcat. Heu ſæculum! inquam ego.

*Enimuerò di quaſi pilas nos homines habent,*

vt ait Comicus: ita pace & bello alternis iactamur, quaſi per luſum. Sed mittamus hæc ſcæua. Pighius noſter quid, & quò? Antuerpiæ, inquit, neſcio quid litium moleſtiarumque mihi fuit cum numinario tricone: quas deterſum veni (me deſignabat) in hoc Sole. Ego verò detergebo, inquam: & lubentiorem te faciam, quàm ipſa Lubentia eſt. Conuerſuſque ad reliquos, Vos amici, aio, cænabitis apud me vnà cum iſthoc hodie. Vultu renuit ſolus Duza, &, Non poteſt Lipſi, inquit. nam vocata opera eſt. Quid vo-

cata? inquam. nónne Aduenticia hodie debita vobis? Iure communi peregrinantium impetrabo hoc certè: si minus, vel ἐν χάρος νόμῳ, vt dicunt Græci. Et simul iniiciebam manum. Cum subrisu Duza, Hæc quidem vis est, inquit. Cæsar videor: ita iugulum mihi petit iste Brutus. Tamen, amici, relictas omnes res habeo præ quod vos vultis. Puer modò adsit, qui ad Canterum renuntiet. En adest, inquam. abi puer, & redi citius quàm Asparagi coquantur. Nos interea ambulemus.

## CAPVT II.

*Salini religio in mensa. Arnobius explicatus: Liuij lectio vulgata defensa. Saturnalia, seruorum dies. Seneca correctus explicatusque. Saturnus deus. Festus & Cicero emendati. Mutatio vestis. Cænatoria. Syntheſis. Plautus explicatus. Petronius & Dio correcti.*

PVER redire mihi tardè visus. Itaque spatiis aliquot confectis, Sedeamus, inquam: puer hic Duzæ interea ministrauerit. Age tu, vasum cum aqua. Lauimus. & cùm trepidarent de loco, Etiam inter vos hæ deliciæ? inquam. Amicitia aut pares omnes accipit, aut facit. Sede tu Duza, tu Pighi, vos reliqui. Ego adsedi in imo. Et cùm oculos circumtulissem, Heus puer, inquam, profana nobis hæc mensa est. salinum oblitus. Lernutius me adspexit, velut causam requirens eius dicti. Ita, inquam, Lernuti. Profanam sine saliho mensam esse veterum opinio fuit; sed & nostra. Arnobius: *Sacras facitis mensas salinorum*

*Salinum sacram mensam facit.*

*rum appositu, & simulacris deorum.* Quin & salinum ipsum inter vasa sacra. Benè notat interpres vetus ad illud Horatij,

*——splendet in mensa tenui salinum.*

*Salinum propriè est* * *patella, in qua dijs primitiæ cum sale offerebantur.* Et Statius ad hanc mentem:

*——& exiguo placuerunt farra salino.*

*Etsi nō reuera patella, sed aliud vasum distinctum.*

Itaque in Liuio libro XXVI. ferre iam possum, *Vt salinum patellamque deorum caussa habeant.* etsi non pessimè rescripsi * olim, *culignam.* Sed adfirmat vulgatam etiam Valerius, qui de paupertate Fabricij & Æmilij: *Vterque,* inquit, *patellam deorum & salinum habuit.* Et Plinius: *Fabricius bellicosos Imperatores plus quàm pateram & salinum ex argento habere vetabat.* At de simulacris deorum, quod addit Arnobius: verum est, collocasse eos in mensa statuam dei cuiuspiam velut tutelam geniumque mensæ. Ita Herculem Epitrapezium lego in Siluis Statij: qui Vindici fuit

** Vide Epist. Quæst. lib. 1. ep. VIII.*

*In mēsa olim deorum imago aliqua.*

*——Castæ Genius tutelaque mensæ.*

Et antè Vindicem, eum

*——*Pellæus habebat*
*Regnator, lætis numen venerabile mensis.*

**Martial. de eodem Hercule Vindicis,* Hoc habuit numen Pellæi mensa tyranni.

Quinetiam deos ipsos initio mensæ inuocabant. Quintilianus Declamat. CCCI. *Habuisti honorem & illud humile limen intrasti, & adisti mensam: ad quam cum venire cœpimus, deos inuocamus.* Inter hos sermones puer regressus à Cantero. Ego inclamaui, Ades, inquam, testudo, non homo: & qui ignauiorem possis facere ipsam ignauiam. Dic, vbi moratus? Para-

bat respondere puer, sed Duza occupauit. &, Vnam hanc noxiam amitte Lipsi, inquit. Seruorum hic dies est. Quid tu iam? inquam. Nempe, inquit, hodie Saturnalia. Cùm capite ego abnuissem, Ita verò, inquit, hodie legitima veterum Saturnalia. aut Fasti omnes me fallunt, qui ea coniiciunt in diem XVI. Kalēdas. Atqui per id festum, velut vsurariam quandam libertatem seruos habuisse, non ignoras. Imò ius iis datum quodam genere supra ipsos dominos; cum quibus commutabant etiam vestem. Dio lib. LVIII. ἐν Τοῖς Κρονίοις οἱ δοῦλοι τὸ τῶν δεσποτῶν σχῆμα μεταλαμβάνοντες ἑορτάζουσι. Atque adeò sedebant ad dominicam mensam, dominis præministrantibus. Athenæus lib. XIV. Τοῖς τῶν Κρονίων ἡμέραις ἔθος ἐστὶ Ρωμαίων παισὶν ἑστᾶν τοὺς οἰκέτας, αὐτοὺς τὰς τῶν οἰκετῶν ἀναδεχομένους λειτουργίας. Attij versus huic rei:

*Exercent epulas læti, famulosque procurant*
*Quisque suos.*

Et Senecæ locum non inuitum huc traxerim, epistola XLVII. *Instituerunt diem festum, non quo solùm* (ex veteri meo libro, *solo*, cum sententiæ totius medicina) *cum seruis domini vescerentur, sed quo vtique honores illis in domo gerere, ius dicere permiserunt, & domum pusillam remp. esse iudicauerunt.* Nam intellegit hoc Saturnalium festum. Ego post ea Duzæ verba placatior, imò verò iam hilarior, Abi puer, inquam, vicisti hoc patrono. conuersusque ad conuiuas, Amici, aio, comburamus hunc diem. Bona Saturnalia hodie.

*Quapropter edulcare conuenit vitam,*
*Curasque acerbas sensibus gubernare.*

vt ait

*Saturnalia veterum, quo die.*

*Seruis tunc libertas.*

*Imò domini fungebantur eorum vices.*

*Seneca explicatus.*

*Correctus quę.*

vt ait Matius. Id quidem in procliui, ait Pighius. Certè, vt hic apparatus eſt, nos hodie molliùs apud te curabimur, quàm regi Antiocho oculi ſolent. Non cibo, Pighi, inquam, (ſubita enim hæc cænula eſt, & velut condicta) ſed voluntate certè lubentiaque. Sed doce nos, antiquúmne hoc Saturni feſtum? Antiquiſſimum, ait Pighius. Nam Saturnus, vti ſcire te ſcio, inter veterrimos Italiæ deos. qui frugibus repertor, quique gentes eas primus docuiſſe creditur ſationes. Itaque non dubiè Latinis nomen inuênit à ſatu. Vt enim à portu Portunnus, à nuptu Neptunnus; ſic diſertè à ſatu, Satunnus. Nam ita primitus pronuntiabant. Feſtus: *Hic deus in Saliaribus Satunnus nominatur, videlicet à ſationibus.* malè ibi vulgò, *Satirnus*, vel, *Saturnus*. Nam Salij ſcilicet aliter indigetabant, quàm vulgus. Sic Tertullianus, *Exceptus à Iano, vel vt Salij volunt, Eano.* Crebra autem & vetus ea terminatio in nominibus deorum. Sic Pilunnus, Picunnus, Vertunnus, etiam hodie in antiquioribus libris: denique, vt dixi, Neptunnus. Victor hîc interfatus, De Neptuno Pighi, inquit, permitte ambigam: Cicero contra te, qui deriuat à nando. Eius verba, 11. De natura deor. *Vt à portu Portunus, ſic Neptunus à nando, prioribus litteris paullum immutatis.* Pighius excepit, Imò tu permitte de ſcriptura iſta ambigam. Neptunus ais à nando? quomodo poteſt? Rem ſpectem, ſiue verba: infelix originatio tua Cicero, imò falſa. Varro melius, *Neptunus*, inquit, *quòd mare terras obnubit.* Sed, mea fide, nunquam fugit id verbum ab ore Marci. Corruptum locum adſero, ſcriben-

*Saturni etymon Latinũ.*

*Feſtus correctus.*

*Ratio terminandi inflectendique nomina deorum priſca.*

*In Ciceronis diuinatio.*

scribendumque, *à nubendo*, vel, *à nuptu*. Res auctor est, & Cicero ipse, qui comparat Neptuni etymon cum Portunni. ineptissimè, vulgata quidem illa lectio si vera sit, quam ego planissimè persuasus sum ab stolido aliquo Herma esse, qui nubendi verbum non nisi in coniugiis nouerat. Vetus ergo in Italia ille deus: etiam festum, si Macrobij centonibus fides, quos vobis non inculco. Dionysius Halicarnasseus originem Saturnalium ad regem Tullum clarè refert libro tertio. At Liuius post reges exactos demum festum id constituit, lib. II. *A Sempronio*, inquit, *& M. Minutio Cos. ædes Saturno dedicata: Saturnalia institutus festus dies*. Imò centenis aliquot pòst annis agnoscere institutionem eius videtur libro vigesimo tertio: ea mente tamen, credo, quòd aut paucis adhuc sacer festusque esset is dies; aut quòd tunc demum in Decembrem mensem reiectus, cùm anteà habitus alio mense. Verba quidem Liuij clara hæc: *Postremò, ex libris Decembri iam mense ad ædem Saturni immolatum est, lectisterniumque imperatum & conuiuium publicum, ac per vrbem Saturnalia die ac nocte clamatum: populusque eum diem festum habere ac seruare in perpetuum iussus*. Nam hæc narrat Cn. Seruilio & C. Flaminio Cos. bello Punico secundo. Ait Liuius, clamatum Saturnalia. Vellem voce addita, Iò Saturnalia. Certè is solemnis clamor. Dio de militibus in Claudij libertum iocantibus: συμβοήσαντες ἐξαίφνης τοῦτο δὴ τὸ θρυλλούμενον, ἰὼ Σατερνάλια. id est, *clamantes statim illud tritum, Iò Saturnalia*. Macrobius tamen, vt vulgata lectio Liuij: *quo solo die apud ædem Saturni, conuiuio soluto, Saturnalia*

*Saturnalia quando instituta.*

*Dissensus Liuij à Dionysio.*

*Iò Saturnalia.*

*turnalia clamabantur.* Clamabant &, Bona Saturnalia. Arrianus in Dissertationibus Epicteti: Τῖς γὰρ παιδίοις ὅταν προσελθόντα κρτῇ καὶ λεγῇ, σήμερον Σατερνάλια ἀγαθά, λέγομεν ἢ ἔστιν ἀγαθὰ ταῦτα; ἐδαμῶς, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ ἐπιχρτεῦμεν. Martialis allusit,

*Bona Saturnalia.*

*Iste tibi faciet Bona Saturnalia porcus.*

Fortasse & Catullus, *Saturnalibus optimo dierum.* Causa huic clamori, præter religionem, etiam lætitia. quia certè non alium diem priuatim publicéque habuerunt hilariorem. Inde sermo, Saturnum Pollucis filium esse, *vel à pollendo* (ait Fulgentius in Mythologicis) *vel à pollucibilitate, quam nos humanitatem dicimus. Unde & Plautus in comœdia Epidici ait, Bibite, pergræcamini pollucibiliter.* Nec malè Fulgentius. Omnes enim illi dies reuera iocorum conuiuiorumque. Inde ortum, vt præter reliqui temporis morem, Saturnalibus manè lauarent, quasi statim transituri ad mensam. Didici è solo Tertulliano: *Non lauor*, inquit, *diluculo Saturnalibus, ne & noctem & diem perdam: attamen lauor honesta hora & salubri.* Et ab eâdem causa, vt ego quidem coniicio, instituta mutatio vestis. Nam Imperatorum temporibus, Senatores Equitésque, Saturnalibus, in syntheſi conspiciebantur. Refero ad Imperatorum tempora. quia vix est, vt id obtinuerit antè; vel ex Seneca, epistola XVIII. *Si te hîc haberem, libenter conferrem quid existimares esse faciendum: vtrum nihil ex cottidiana consuetudine mutandum, an & hilarius cænandum & exuendum togam. Nam quod fieri nisi in tumultu & tristi tempore ciuitatis non solet, voluptatis caussa & festorum dierum*

*Saturnus Pollucis proles.*

*Latitia Saturnalium.*

*Manè tum lauabant.*

*Syntheſinati etiam honestiores ciues.*

*Quando id institutum.*

*veſtem mutauimus.* Ita enim narrat, vt videatur eam culpam impingere ſuo æuo. Idque in parte verum. Nam olim quidem Togas ponebant domini, easq. ſerui induebant: at ſyntheſim ſumpſiſſe eos non credo, non lego. Quæ tamen Senecæ & poſt æuo, receptiſſima per eos dies. Martialis:

*Syntheſibus dum gaudet Eques dominusque Senatus,*
*Dumque decent noſtrum pillea ſumpta Jouem.*

Nec alterius ſententiæ illud epigramma:

*Nil laſciuius eſt Chariſiano.*
*Saturnalibus ambulat togatus.*

*Quare inſtitutum.* Cauſſa recipiendi, quoniam cænatoria, opinor, ea veſtis. At Saturnalia, non aliud quàm promiſcuæ epulæ & velut continentes comiſſationes. Iure ergo, tanquam in publico quodam ciuitatis conuiuio, ſumpta veſtis quæ ad conuiuia; eaque etiam in publico vſurpata lætitiæ teſtandæ. Finierat Pighius. ſed ad eum Victor, Velim Pighi, inquit, paullò iſta fuſius. Tibi hîc liquet, credo: ſed nobis in priſcis iis ritibus adhuc nubes. quam ſermonis tui luce remoue. Parebo, inquit. etſi vobis eruditis rerum veterum, ſatis cenſebam, vt pedem modò ponerem in viam. Romanis in duplici diſcrimine veſtis. Alia Domeſtica, alia Forenſis. Suetonius, Ammianus, Iuriſconſulti. Illa intra parietes ſcilicet vſui: hæc in negotiis inque foro. Commutare eas, & domi forenſem, aut foris domeſticam induiſſe, probrum. Inter domeſticas, Cænatoria. quam non fas videre publicam lucem. Martialis in lemmate, *Cænatoria:*

*Forenſis veſtis & Domeſtica.*

*Cænatoria domi tãtùm.*

*Nec*

*Nec fora sunt nobis, nec sunt vadimonia nota:*
*Hoc opus est, pictis accubuisse thoris.*

Itaque vt rem nouam narrat Dio in Hadriano, quòd Fronto nobilis orator Turbonis tribunal adierit ἐν τῇ στολῇ τῇ δειπνίτιδι, *in conuiuiali veste*. Et ab hac mente idem Hadrianus Imp. *Senatores & Equites semper in publico togatos esse iussit, nisi à cœna reuerterentur*, ait Spartianus in eius vita. Et benè iuuat Spartianus. Fas enim mósque, vt apparet, cum cœnatoriis conspici in publico, sub cœnæ tempus. Cur non igitur Saturnalibus diebus permissum, per quos continuæ, vt dixi, cœnæ? Hercules non aliam caussam video Syntheseis sumptæ. Nam quod probandum supereſt, Syntheſim adfirmo dictam cœnatoriam vestem: vtique hominum lautiorum. Martialis satis clarè:

*Aut foris etiam, sed sub tempus cœnæ.*

*Syntheſis, inter cœnatoria*

*Vndecies vna surrexti, Zoïle, cœna:*
*Et mutata tibi est syntheſis vndecies.*

Tranquillus validè adiuuat, qui in Nerone obseruat cum nota, quòd *plerumq. syntheſinam indutus, prodierit in publicum, sine cinctu & discalceatus*. qui scilicet conuiuantium habitus. Iámne capitis? an etiam de Cœnatoriis latius dico? Annuistis: dicam. Mos ille vetus Romæ, vt domi haberent vestes ad cœnam. & si foris cœnarent, acciperent ab amicis, aut ipsi adferrent. Capitolinus in vita Maximini: *Cùm ad cœnam ab Alexandro esset vocatus, in patris honorẽ, quòd ei deesset vestis cœnatoria, ipsius Alexandri accepit*. Plautus Pallium malacum id appellauit, me interprete, Bacchidibus:

*Semper Romani vestem in cœna mutabant.*

*Pallium, pro ea veste.*

*Pro galea scaphium, pro insigni sit corolla plectilis,*
*Pro hasta talus, pro lorica malacum capiam pallium.*

*Plauto lux.*

Nam describit omnia, quæ solita conuiuio. Et benè, Pallium. credo enim fuisse ad eam formam. Martialis quidem sic appellat, vbi de se cum vxore accumbente:

*Ad mensam venies, sed sic diuisa recumbes,*
*Vt non tangantur pallia nostra tuis.*

Et Petronius de Trimalcione cænante: *Pallio coccino adrasum incluserat caput, circaque oneratas veste ceruices laticlauiam immiserat mappam.* Rectè etiam, Malacum Plautus. Reuera enim mollior pretiosiorque ea vestis, & è purpura sæpè. Apud Horatium vetula amatrix:

*Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ*
*Cui properabantur? tibi nempe.*
*Ne foret æquales inter conuiua, magis quem*
*Diligeret mulier sua, quàm te.*

Nam ad conuiuia manifestè accommodat. Etiam Petronius: *Vestimenta mea cubitoria* (legerim, *accubitoria*, litterula retracta) *perdidit, quæ mihi natali meo donauerat cliens quidam, Tyria sine dubio sed iam* (malim negandi nota, *sed haud*, vt dibapha significet) *semel lota.* Sed & Persius:

*Petronius leuiter emendatus. Accubitoria vestimenta.*

——— *ecce inter pocula quærunt*
*Romulidæ saturi, quid dia poëmata narrent.*
*Hæc aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna est,*
*Rancidulum quiddam,* &c.

Nam lænam circum humeros & quidem hyacinthinam, vestem hanc dixit conuiuialem. Lautiorum videlicet hominum cænatoria semper purpurea coccináue: quæ fortassis propriè Syntheses dicta, & ideò tantùm

*Lana, pro cænatoriis.*

*Plerumque è purpura, coccóue.*

tantùm Equiti & Senatori adtributa à Martiale, excluſa plebe. Dio, vbi Suetonius de Nerone, *ſyntheſinam* dixit, ſiue ſyntheſim: vertit in eâdem re, χιτῶνιον ἀνδινον. Et ſcio Floridam veſtem in Apuleio aliiſque legi; ſed videte tamen ne verius hîc ſit, ἰάνθινον. à colore videlicet, qui in ſyntheſi violaceus, vel vt * Plinius etiam appellat, Ianthinus. Hæc de Cænatoriis. quem morem manſiſſe ad Sidonij tempora diſco ex libro primo Epiſtolar. vbi de conuiuio imperatorio, à quo iam ſurrexerat: *Paulum à proſpectu Imperatoris proceſſeramus, atque etiamnum chlamydibus induebamur, cùm mihi Conſul*, &c. Oſtendit clarè poſitam à ſe chlamydem, & reſumptam.

*Coniectura in Dione.*

** Plinio lib. XXI. cap. VI.*

*Ianthina veſtis dicta.*

*Quamdiu perſeuerarit is mos.*

## CAPVT III.

*De Saturnalium diebus. Opalia. Suidæ lux. Auſonio medicina. Varroni lux & medicina. Aucti Saturnalium dies.*

BEAS nos, Pighi; ſermonibus iſtis, inquam. ſed de numero dierum Saturnalium, nílne addis? Neque enim liquida vulgò ea res: & Macrobius, qui conatur, puluerem ob oculos nobis ſpargit. ita concinnat neſcio quid perplexi, & quod, peream, ſi vmquam cepit ipſe. Pighius, Ita ſolus ego qui conſulor? inquit. Melius eſt domum aperiam, & ſolium mihi ponam nouus * Brutus. Tamen, qua de re quæris, ſic habuit. Antiquitus vnus Saturnalia dies: & idem communis cum Ope. Nam Opalia & Saturnalia vtraque incidebant in diem XIV. Kal. Iani. Macrobius teſtis, & Kalendarium vetus repertum Romæ.

** Qui celeber inter priſcos Iureconſultos.*

*Quot dies Saturnaliũ.*

*Opalia.*

Quid mirum? quorum lectus communis est, vt sit dies? Nam Ops siue Rhea, vxor Saturni. Hoc nisi præscimus, nunquam illud Suidæ è Lexico dextra manu capiemus: Κρόνια, ἑορτὴ ἀγομένη Κρόνῳ καὶ τῇ μητρὶ τῶν θεῶν. Quid enim in speciem vanius, quàm Saturnalia adscribere matri deûm, siue Opi? At caussa confusionis Græculo non iniusta, communio illa dierum à me dicta. Hæc Ops opem feret Ausonio poëtæ, cuius desperatæ sanitatis versum etiam Æsculapius noster, Scaliger, depositi: ego de via medicus sanabo. In carmine de Feriis Romanis:

*Vísne ope * sancte sacrum, vel Saturnalia dicam?*
*Festáque seruorum, cùm famulantur heri?*

Nam clarè lego, *Vísne Opis ante sacrum.* Ambigit poëta Opalia prius an Saturnalia dicat. quare? quia, vt iam iteraui, conueniebant ea festa, & vtrique deo, deæ, facer idem dies. Interpellauit hic Victor: &, Correctio, inquit, per-clara: non illa quam ponis dierum concursio. Varro facit tenebras, qui lib. quinto de L. L. *Saturnalia*, inquit, *dicta ab Saturno, quòd eo die feriæ eius, vt post diem tertium Opalia, Opis.* Ecce, nónne disertè post diem tertium à Saturnalibus Opalia celebrata vult? At tu aiebas die eodem. Respondit Pighius, His tenebris, Victor, dabo lucem. Quæ de communione dierum prædixi, ad Consulum tempora pertinent & remp. priscam: non idem de C. Cæsaris & deinceps ætate sentias. Vt enim Cæsar fastos correxit, & huic Decembri mensi duos addidit dies: * Saturnalia, vt sic dicam, sedem mutarunt, & à XVI. Kal. numerari cœpta, non vt antè à XIV.

*Suidas explicatus & excusatus.*

*Ausonius correctus.*

*Varroni data lux.*

** Vide Macrobium, qui multa, lib. 1.*

à XIV. Migrarunt igitur Saturnalia: non tamen Ops, quæ in die veteri ſtabilis permanſit. Hanc correctionem Cæſarianam clarum Varronem ſpectaſſe. qui condidit eos De lingua Latina libros (vti vel hinc diſcimus) Cæſare iam Dictatore: & feriarum dies ad Faſtos eius aptauit. Tamen in Varrone ſcribi erit verius, *vt pòſt, die tertio.* Hoc mihi iam lucet, inquit Victor: tu perge. Iterumque Pighius: Vt ergo cœpi dicere, inquit, vnus Saturnalium dies manſit ad C. Cæſarem: ab illo, tres celebrari cœpti. idque Octauianus Auguſtus tenuit, qui in legibus iudiciariis triduum ferias ſeruari iuſſit. Hactenus certa poſſum: de die quarto dicam incerta. Nam illum quis addiderit, non lectum mihi, & credo, non ſcriptum. Quintum ſaltem diem additum à Caligula reperio. Suetonius: *Vt lætitiam publicam in perpetuum augeret, diem adiecit Saturnalibus, appellauítque Iuuenalem.* Diem Beroaldus intellegit ſextum vel octauum. Errat. vos accipite quintum. Dio lib. LIX. de hac ipſa re: τά τε Κρόνια ἐπὶ πέντε ἡμέρας ἑορτάζεσθαι ἐκέλευσε. Tamen ille ipſe quintus dies poſt Caij cædem abolitus, ſed reſtituit Claudius docente eodem Græco lib. LX. Τῖς τε Κρονίοις τὴν πέμπτην ἡμέραν, τὴν καταδεχθεῖσαν τε ὑπὸ τοῦ Γαΐου, καὶ μετὰ τοῦτο καταλυθεῖσαν, ἀπέδωκε. id eſt: *Saturnalibus quintum diem, à Caio inſtitutum, poſteáque omiſſum, reſtituit.* In vniuerſum ergo Saturnalium dies legitimi, vti videtis, quinque. Ego dixi. Cùm deſiiſſet Pighius, Lernutius occupauit. Sed enim ſcrupus ille de die quarto. non tollis hanc moleſtiã pedibus? Vellem tu meo capiti, inquit. nam

*Varro quãdo libros de L.L. ſcripſerit.*

*Fortaſſe is emendatus.*

*Quomodo aucti Saturnalium dies.*

*Quintus dies à Caligula eſt.*

nam iuxtà tecum id scio. Diuinemus, inquam ego. *Quartũ quis addiderit, incertum.* An Tiberius, si fortè, addidit? Certè ille solus interiectus Caligulam & Augustum. Huic vaticinio, ait Pighius, ex Tiberij moribus non est fides. Nec enim ille vnquam fautor rei ludicræ: &, vt eius seueritas fuit, diminutum potius publicas voluptates isset, quàm auctum. Ego quamquam cum Euripidæa nutrice possim dicere,

*Videri tamen ab Augusto esse.*

Οὐ μάντις εἰμὶ τ' ἀφανῆ γνῶναι σαφῶς.

tamen diuinem diem quartum esse ab Augusto. cuius extremis annis irrepserit, crescente luxu, & quia ea auctio plebi volenti.

## CAPVT IIII.

*Etiam quæsitum de diebus. Obiectiones positæ, & in parte remotæ.*

SVSCIPIT Lernutius. Anchoram iecisti, Pighi, sed nondum adspicis terram. Duo me turbant. Ais à Iulio Cæsare tres Saturnalium dies factos, anteà vnum. Ais nunquam plures fuisse quinque. Primùm oppugnat Cicero, qui libro v. ad Atticum diu ante Iulianam correctionem tertia Saturnalia nominat: *Mancipia vænibant*, inquit, *Saturnalibus tertiis*. Sed & Mallius quidam apud Macrobium, cuius ibi verba. Alterum. Interrupit Pighius, St, inquit. turbinem hunc prius remoueam ne naui nostræ frangat ratem. Tertia Saturnalia nominat Cicero? Fateor. hilaritas ergo triduana, sed non feriæ, non sacrum. Festus pro me: *Quinquatrus appellari quidam putant*

*Tres dies etiam ante Cæsarem.*

*putant à numero dierum. qui scilicet errant, tam hercules quàm qui triduo Saturnalia & totidem diebus Compitalia. Nam his omnibus, singulis diebus fiunt sacra.* Iam dic de altero. Septem dies Saturnalium comperior, ait Lernutius, non vt tu perseueras quinque. Lucianus in Croniis plus vno loco: Martialis, *Quo modo septem numerati.*

*Saturni septem venerat ante dies.*

& poëtæ alij. Subridens Pighius, Per hanc, inquit, tempestatem facilè ero in portu. Saturnalia legitima dixi quinque fuisse: tu, illiqué quos laudas, spurios adiicitis dies binos. Vt clarè dicam. Ipsa Saturnalia constabant diebus quinque: at Sigillaria, quæ subsequebantur, binis. Quæ festiuitas quia non abhorrens à lætitia priori, illiqué continens: factum vt confusè numerati Saturnales septem. At in re aliud fuit. Itaque illeipse Martialis, vbi veritatis diligentior, nominat Saturnalia modò quinque:

*Et iam Saturni quinque fuere dies.*

Alibi: *Hæc signata mihi quinque diebus erunt.*

Et iámne hæc res in vado? Imò, inquit Duza, ecce alius imbricitor Auster. Nam vt Martialis ætate dies septem numerentur, caussam video: anteriori æuo quid fiet? cùm septem recensitos reperiam multis ante Cæsarem annis? Nouius Atellanarum scriptor: *Tamen septẽ dies etiã ante Cæsarem.*

*Olim exspectata septem veniunt Saturnalia.*

Sed & Mummius quidam:

*——nostri maiores veluti benè*
*Multa instituere, sic hoc optimè, frigore*
*Fecere summo dies septem Saturnalia.*

Et quid ais tu? Vnus ante Cæsarem Saturnalia dies:

binos Sigillaritios adde: vbi ſeptem? Amplius largior. tres fuerint Saturnalium: vbi ſeptem? Exſpecto quid ad iſta noſter Brutus. Tacebat Pighius, Et mehercules obbrutui, inquit. Iuua in partem Lipſi. Egóne? inquam. oram reperire nullam quâ te expediam queo. & quin ad prius illud tectorium confugimus, lætitiæ fuiſſe dies plures, non feſti? Niſi id ſit, ſubmitto equidem arma.

*Nec facilis ſolutu is nodus.*

## CAPVT V.

*Saturnalia Gladiatoribus ludiſque deſtinata. Ipſi gladiatores Marti, vel potius Saturno ſacri. Saturnus inter inferos maleficus & cruento ſacro gaudens. Tibullo lux, & Tertulliano. Sacerdotes Saturni.*

RISIT vehementer Duza; &, Hic Auſter, vt video, inquit, vos omnes perculit. Heus puer, da vinum huic naufrago Lipſio: ſed merum. Nam aqua non vltrà illi opus. Etiam rides? inquam ego. vlciſcar. Da mihi puer eccillam pateram è cryſtallo: illam capaciorem dico, quæ eſt in Delfica. Admiratus Duza, Hui! tam grandem? inquit. Non id è more tuo, non è ſanitate. Nimirum, inquam, non Cereri, ſed Saturno hoc ſacrum fit. Itaque, ait Duza, tu nos omnes hodie reddes ſaturos. mallem hilaros & lubentes. Sanè mos Romanus non magis conuiuiis hunc diem dicauit, quàm facetiis & ludis. Itaque Gladiatores, Venatio, Circenſes, quanquam aliâs; tamen his diebus propriè dabantur. Gladiatores inprimis, quorum tutela Saturnus. Erras Duza, inquam: Mars potius.

*Gladiatores Saturnalibus dati.*

*Eorum præſes Mars.*

potius. Apud Tertullianum certè lego (libello de Spectaculis) *Martem & Dianam vtriuſq. ludi præſidem nouimus.* ludi videlicet gladiatorij, venatoriique. Item Saluianum: *Colitur & honoratur Minerua in gymnaſiis, Venus in theatris, Neptunus in Circis, Mars in arenis, Mercurius in palæſtris.* Duza renidens & renitens, Non pugnem, inquit, tantis ſcriptoribus libens: tamen vereor vt verior Lactantius ſit: *Munera*, inquit, *& quæ vocantur Venationes Saturno adtribuerunt.* Ita eum locum inſerta copula lego. Nam & in Epitoma Lactātij: *Munerum editiones Saturno factæ* (lego *ſacræ*) *ſunt: ſcena Liberi patris eſt.* Addicit Lactantio Auſonius,

*Vel potius, Saturnus.*

*Et gladiatores funebria prœlia notum*
*Decertaſſe foro: nunc ſibi harena ſuos*
*Vindicat, extremo cùm iam ſub menſe Decembri*
*Falcigerum placant ſanguine cæligenam.*

Vbi duo notes, & pugnaſſe gladiatores Saturnalibus; & Saturno placando propitiandoque. Cauſſam quam putem eius tutelæ fuiſſe, hæc eſt. Saturnus non inter ſuperos, ſed inferos deos. Plutarchus in κατηγεφῇ κεφαλαίων. Ρωμαῖοι, inquit, τὸν Κρόνον ἡγεῖν θεὸν ὑπαδαῖον καὶ χθόνιον. & alibi, Κρόνον δὲ τ κάτω θεῶν, ὲ τ ἄνω νομίζεσιν. Eademque opinio apud Græcos ipſos. Itaq. in Tartaro eum collocat Prometheus apud Æſchylum,

*Saturnus inter deos inferos habitus.*

Εμαῖς δὲ βλαῖς ταρτάρου μελεμβαθὴς
Κευθμὼν καλύπτῃ τὸν παλαιγενῆ Κρόνον
Αὐτοῖσι συμμάχοισι.

Et in Catalogo deorum duodecim maiorum omiſit Ennius, *Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.*

non facturus, si inter cælites fuisset. Credo eam opinionem valuisse, quia triste Saturni sidus & maleficum: quale ingenium deorum inferorum. Inde est nænia Græcorum, Κρόνιον ὄμμα: inde superstitio, Saturni diem viæ non faustum. Tibullus,

*Saturnus maleficus.*

*Tibullo lux.*

*Aut ego sum causſatus aues, aut omina dira,*
*Saturni aut ſacram me tenuiſſe diem.*

Ouidius ad amatorem, cui iter inuito suadet:

*Nec pluuias opta, nec te peregrina morentur*
*Sabbata, nec damnis Alia nota ſuis.*

*Ideò ſanguine placãdus.*

Iure ergo Romani, quia gladiatorum sanguine placari manes credebant, eaque prima iudicri cauſſa; hoc spectaculum dedicarunt crudo & sanguineo deo. Quò traho etiam cultum sacerdotum eius à reliquo vulgo secretum. Nam pallio coccineo mystæ Saturni velabantur. Tertullianus de Testimonio animæ: *Atque id plerumque facit & vitta Cereris redimita, & pallio Saturni coccinata, & deæ Iſidis linteata.* Idem de Pallio: *Cùm lætioris purpuræ ambitio & galatici ruboris ſuperiectio Saturnum commendat.* Coccineus enim color (quem Galaticum ruborem appellat, quia granum id Galatiæ frequens) sanguinis & cædium est: ideoque & Imperatoriis olim paludamentis, ait Plinius, dicatum coccum. Hæc satis certa. Abnuere tamen nobis Prudentius tuus videtur, Victor, in Hamartigeneia:

*Saturni ſacerdotes coccinati.*

*Paludamẽta Imperatorũ coccinea.*

*Diti ſacros eſſe gladiatores, ex Prudentio.*

*Reſpice terrifici ſcelerata ſacraria Ditis,*
*Cui cadit infeſta fuſus gladiator arena.*

Sed * Ditem qui eundem cum Saturno hîc capiat, meâ sententiâ, haud aberret.

* *Aut etiam Diti, hoc reſpectu, quod manibus placandis dati gladiatores.*

CAPVT

## CAPVT VI.

*Gladiatores olim in conuiuiis: Campanorum instituto. Romani id æmulati. Lampridius contra Turnebum explicatus, in Cubicularijs gladiatoribus. Germanorum immanitas.*

INTER hos sermones intulerant pueri missum secundum. in quo gallinæ, columbæ, turdi, & eiusmodi altilium minuta. Et ego ad hospites, En, inquam, paraui ad illud Comicum,

*Non ampliter, sed munditer conuiuium.*

Tempus non tulit. nec inter eos ganeones ego, quibus modulus est vitæ culina, vt ait Varro. Itaq. sumite quæso contenti istis. Etiam excusas? ait Pighius.

*Sibi habeant sua regna reges, sibi diuitias diuites:*

nobis dum sic sit. Et quæ cæna præ ista, quam suauissimæ doctissimæque fabulæ condiunt? Vellem paullò magis, inquam: nec tu Pighi sermonis tam parcus. Parcus ego? inquit. cui linguarium meherclè dandum fuit, ita insolitè hac omni cæna loquax. Scis enim ingenium meum: quámque illud Homericum in me conueniat,

Αλλ' ἀ οἱ χάρις ἀμφιπεριστέφε ἔπεσσιν.

Tace, inquam. Nam tu quidem λέγειν ἄρισος, ἀδυνατώτατος λαλεῖν, vt inuertam illud Eupolidis. Sed quoniam cœpimus, & bella iam occasio est, de Gladiatoribus placétne largius fabulari? Nam verum fateamur. non alius mos est, quem disertè intellegi pluris interfit veterum scriptorum. Quæ historia ab hac commemoratione gladiatorum, quis orator, quis

*Vtilitas intellectæ rei gladiatoriæ.*

poëta abstinuit? Et quidem pleræque metaphoræ, similitudines, imagines, alij flores orationis sunt ab istis. Occupa ergo hanc gratiam tu Pighi, & doce nos inuulgatum adhuc ritum. Egóne? ait. imò Duza hic potius ——παλαιάτε πολλάτε εἰδὼς. Et solúsne Pighius hîc pro magistro? Tum ego, Qui viam ad mare nescit, amnem sibi quærit ducem: sic nos te Pighi, vti penetremus ad mare illud antiquitatum. Eia! vrgetis modestiam meam, inquit. sed enim ne alienum sit ab hac mensa. Renidens Duza: Adeò hic sermo, Pighi, mensæ non disconuenit, vt Romani rem ipsam cottidie oculis vsurpauerint super mensam. Nam in omni lætiori conuiuio solemne fuit, in triclinio paria aliquot gladiatorum exhibere ad pugnam. Ortus, vt videtur, mos à Campanis: de quibus Silius lib. x i. Punicor.

*Gladiatores olim super mensam.*

*Auctoribus Campanis.*

*Quinetiam exhilarare viris conuiuia cæde*
*Mos olim, & miscere epulis spectacula dira*
*Certantum ferro, sæpe & super ipsa cadentum*
*Pocula, respersis non parco sanguine mensis.*

Strabo de iisdem lib. quinto: ἐπὶ τοσοῦτον δὲ ἐνετρύφησαν, ὥςτ' ἐπὶ δεῖπνον ἐπάλξεις πρὸς ζεύγη μονομάχων, ὁρίζοντες ἀριθμὸν κατὰ τὴν τῶν δειπνῶν ἀξίαν. id est: *Eò luxus proiecti sunt, vti conuiuas vocarent ad paria gladiatorum, quorum numerum augebant muniebántue pro dignitate cuiusque conuiuij.* Liuius libro nono: *Et Romani quidem ad honorem deûm insignibus hostium armis vsi sunt: Campani ab superbia & odio Samnitium, gladiatores (quod spectaculum inter epulas erat) eo ornatu armarunt, Samnitiumque nomine appellarunt.* Ab iis ergo auidè hauserunt Roma-

*Quos Romani imitati.*



LIB · I · CAP · 6 ·

Romani. de quibus Nicolaus Damaſcenus: τὰς γὰρ μονομάχων θέας, inquit, ἃ μόνον ἐν πανηγύρεσι καὶ θεάτροις ἐποιοῦντο Ρωμαῖοι, ἀλλά κ' ἀν ταῖς ἑστιάσεσιν. ἐκάλεν δ' ἔν τινες πολλάκις ἐπὶ δεῖπνον τοὺς φίλους ἐπί τε ἄλλοις, καὶ ὅπως ἂν δύο ἢ τρία ζεύγη ἴδοιεν μονομάχων, ὅτε καὶ κορεσθέντες δείπνου καὶ μέθης, εἰσεκάλεν τοὺς μονομάχους. καὶ ὁ μὲν ἅμα ἔσφαττετο, αὐτοί δ' ἐκρότων ἐπὶ τούτῳ ἡδόμενοι. id eſt: *Spectacula gladiatorum non per ferias tantùm & in theatris Romani exhibuerunt, ſed priuatim in conuiuiis. Quin & ad cænam ſæpe amicos vocare ſoliti, cum ob alia, tum vt bina aut terna paria gladiatorum viderent: quos vino iam & cibo madidi intrò vocabant. atque ille quidem trucidabatur: iſti plauſum manibus dabant, tanquam in re læta.* Nec de alio ritu Horatium exaudio:

*Cædimur, & totidem plagis conſumimus hoſtem*
*Lento Samnites ad lumina prima duello.*

*Horatius explicatus.*

Lumina accipio, cænæ, præter opinionem florilegi interpretis. Perſeuerauit ille mos ad extrema imperij tempora. Capitolinus de Vero: *Gladiatorum etiam frequentis* (ita inibi lego) *pugnas in conuiuio habuit, trahens cænam in noctem, & in thoro conuiuiali condormiens.* Lampridius de Antonino: *Gladiatores ante conuiuium pugnantes, ſibi frequenter exhibuit.* Atque hi conuiuales gladiatores ſunt, quos Cubicularios Lampridius in Commodo dixit: *Inter hæc, habitu victimarij victimas immolauit: in arena, rudibus, inter cubicularios gladiatores pugnauit lucentibus aliquando mucronibus.* Ita paullò verius doceo, quàm Turnebus: qui Rudiarios pro Cubiculariis ſubſtituit, dea non fauéte. Nam & Dio illum in publico ſine ferro; domi gladiis, & ad cædem

*Cubicularij gladiatores.*

*Vulgata in Lampridio lectio defenſa, diſtinctione tamen adiuta.*

cædem vsque, dimicasse commemorat: καὶ ἐμονομάχει, inquit, ὅπου μὲν, ὡς καὶ φονεύθη τινάς· ἐν δὲ τῷ κοινῷ, ἄνευ σιδήρου καὶ ἄνευ αἵματος ἀνθρωπείου. Desierat Duza, & ad eum ego: Sed censen' hanc legitimam in conuiuio pugnam fuisse, an quasi lusum? Hostibus quidem nostris, inquit, sit hic lusus. prorsus legitima pugna, & cum applausu conuiuantium, occidebant, occidebantur. Ita Nicolaus: cuius verba, vt video, præteruolarunt tuas aures. Vultu auersatus feritatem eam Victor, Di boni! crudas & immanes epulas! inquit. & iam miror Lapitharum conuiuia in prouerbium isse, non isse Romanorum. Quid illos culpas? respondit Duza. nos ecce Galli nihilo meliores. Posidonius: Κελτοὶ, inquit, παρὰ τὸ δεῖπνον μονομαχοῦσιν. Imò hoc amplius scribit, eò dementiæ prouectos, vt paullulo argento vel vasis aliquot fictilibus conducti (quæ pacto scilicet propinquis darentur) supini in scuto immobilésque iacerent, atq. ibi accedens alius iugulum iis incideret. At enim, inquit Victor, de Germanis id accipi commodius veriusque est. Scis enim quomodo Græci vsitati voce κελτῶν.

*Cruenta Romanorum conuiuia.*

*Celtarũ siue Germanorũ magis.*

*Huc refer Figuram de Gladiatoribus in conuiuio.*

CAPVT

## CAPVT VII.

*In genere de Spectaculis primò. Tum de celebritate & frequentia Gladiatorij ludicri. quámque id gratum. Quo nomine antiquis dictum. Munus, Munerarius, Munerator. Editio, Editor. Tacitus correctus. Gladiatores significatione duplici, pro re próque hominibus.*

AT tibi, Pighi, ſatin' vt præciſa nunc omnis tergiuerſatio? Perge, cum Muſis beneuolentibus. Sed muſſante etiam Pighio, ego velut commotior, Quàm lenta hæc materies? inquam. corbita celerius moueatur in tranquillo mari. Fac, ſiquid facis. At Pighius renidens, Sine præmediter ſaltem, inquit. Vnde enim tam numerò poſſim, de re obſita & vetuſta? Nos precabimur, ait Lernutius, Numeriam deam tibi vt adſit & Monetam. De poſtrema, inquit, accipio omen: fauentior vt mihi quàm Antuerpiæ ſit. Vos audite, adiuuate, & aberrantem dirigite.

*Scriptores etiã olim de re ludicra.*

Spectaculorum res nec antiquis quidem ſine cura fuit. ſcripſeruntque de iis ex profeſſo, quod ſciamus, Suetonius Tranquillus, & * Tertullianus. Alterius liber nunc eſt: alterius, fuit. Sed cauſſa ſcribendi iis finiſque non vna. Ille vt explicaret: noſter vt damnaret, deſcenderunt in hanc arenam. Et ſanè plerique Theologi è priſcis, cùm viderent pietatis damno, addictum deuinctúmque populum his ludis; paſſim inuecti in eos, vt libidinis ſæuitiæque fontes. Et benè illi. nec malè nunc ego, qui per Suetonij veſtigia iens ritus illuſtrabo priſci & nobis ignoti æui. Quomodo enim vel illos ipſos viros ſan-

** Præter hos, etiam Sinnius Capito.*

*Theologi veteres inuecti in ſpectacula crebrò.*

ctos legemus capiemúsque, nisi cognitione aliqua imbuti rerum earum quas carpunt? Vt omittam scripta omnia profana; quibus immittenda lux ab hac narratione. Atque vt primas totius sermonis lineas ducam; Spectaculorum apud Romanos quadrigas constituo, Gladiatores, Venationem, Circenses, Scenam. Tria ex iis ad oculos maximè, vnum pertinuit ad aures. Quæ ad oculos, propria ferè Romanorum. aut si in alia gente; tenuia præ istis, & dictu parum digna. Scio & Agones Musicos fuisse, & Gymnicos ludos: sed nouè illa traducta Romam, nec mihi nunc curæ. Dicam de Gladiatoribus, vt petistis. quod inter omnia scire vos volo celeberrimum fuisse frequentissimúmque Romæ. Cicero adfirmat seriò, oratione pro Sestio: *Equidem existimo nullum tempus esse frequentioris populi, quàm illud gladiatorium: neque concionis vllius, neque verò vllorum comitiorum.* Et in quo plebs maximè vel delectabatur, vel verius, insaniebat. Idem Cicero, de gladiatoribus: *Id autem spectaculi genus erat, quod omni frequentia atque omni genere hominum celebratur, quo multitudo maximè delectatur.* Idemque studium appositè exprimit & tangit quicumq. scriptor De caussis corruptæ eloquentiæ. *Iam verò*, inquit, *propria & peculiaria huius vrbis vitia pænè in vtero matris concipi mihi videntur, histrionalis fauor, & gladiatorum equorumque studia. quibus occupatus obsessusque animus, quantulum loci bonis artibus relinquit? quotumquemque inueneris, qui domi quidquam aliud loquatur? quos alios * adolescentulorum sermones excipimus, siquando auditoria intrauimus?*

*Diuisio spectaculorum.*

*Gladiatorij ludi, inter omnes, celeberrimi.*

*Gratissimi plebi.*

*Iuuentuti in delicijs.*

** Exemplum habes in Suetonij Nerone, cap. xxij.*

Nam

Nam illud fœdum, incredibile, quod addit: *Ne præceptores quidem vllas crebriores cum auditoribus suis fabulas habent. Colligunt enim discipulos non seueritate disciplinæ, nec ingenij experimento, sed ambitione salutantium & illecebris adulationis.* Spectaculum hoc appellatum propriè, Munus. vel quia populo gratis daretur; vel, vt Tertullianus ait, *ab officio, quia officium se mortuis facere arbitrabantur.* Et bene ac peritè Tertullianus. nam Munus propriè officium antiquis; sicut Munis, officiosus. Festus: *Munem significare certum est officiosum: sicut è contrario immunis dicitur, qui nullo fungitur officio.* At origo gladiatorum, vt mox dicam, à funebri re. Is qui præbebat, ab ea voce Munerarius dictus. Glossæ, *Munerarius*, ἀγωνοθέτης. cuius vocis primum patrem Quinctilianus facit Augustum libro VIII. *Quædam in vsu*, inquit, *perquàm recentia, vt Messalla primus Reatum, Munerarium Augustus primus dixerunt.* Nam anteà vel Domini ludorum dicebantur, vt Ciceroni de Legibus: vel Editores, & res ipsa Editiones. Capitolinus in Antonino: *Absens populi Romani voluptates per ditissimos editores curari vehementer præcepit.* Lapis propter Neapolim: HIC. OBLITERATO. MVNERIS. SPECTACVLO. IMPETRATA. EDITIONE. AB. INDVLGEN. MAX. PRINCIPIS. DIEM. GLADIATORVM. ET. OMNEM. APPARATVM. PECVNIA. SVA. EDIDIT. Alius Prænestæ: OB. INSIGNEM. EIVS. EDITIONEM. MVNERIS. BIDVI. Et exempla pluria obuia vulgò. Tacitum in hac voce bene emendasti Lipsi, lib. III.

*Hi ludi propriè Muneris nomine veniunt: etsi Venatio etiam comprehensa, vt dico lib. iij.*

*Munerarius.*

*Dominus.*

*Editor.*

*Editiones.*

*In Tacito coniectura.*

Annal. de vitiis Drusi: *Huc potius intenderet, diem ædificationibus, noctem conuiuiis traheret.* benè, inquam, tu, *editionibus:* quia ad ludos hos cruentos edendos frequentandosque Drusus pronus. Nec sine caussa tamen ficta ab Augusto illa vox noua. quia Editores Dominiue, communes sunt omnibus ludis: Munerarius non nisi is qui munera edit, id est Gladiatores aut Venationes. Muneratorem dixit magis nouè Florus de Spartaco: *quasi planè expiaturus omne præteritum dedecus, si de gladiatore munerator fuisset.* Hîc Lernutius, Sed non res ipsa, etiam Gladiatorium dicta? quæ vox mihi alibi lecta. Ad illum Pighius, Lecta in Liuio, inquit: sed pro * auctoramento pretióque gladiatorum, non pro ludis. At* Cicero aliique, plus semel Gladiatores, pro spectaculo & munere ipso vsurpāt, homines pro re: vt contrà rem pro hominibus, cùm Seruitia, Coniugia dicimus, seruos & coniuges ipsos. De verbo quod satis est dixi, si addidero Gladiatorem à Quinctiliano definiri *qui in arena populo spectante pugnauit.* Ita enim hîc appello: non eos, quos Iurisconsultus l. vlt. De iure immunitatis μαχαιροποιὸς dixit; satis propriè, at parum vsitatè.

*Munerator.*

** Vide lib. II. cap. v. Gladiatores, pro ipsis ludis.*

** Lib. II. ad Attic. ep. I. Philip. I. & IX. alias.*

*Gladiator quis.*

CAPVT

LIB. I. CAP. 8.



## CAPVT VIII.

*Dispositio & ordo futuri sermonis. Origo ludicri: & caussa. Ciceroni lux facta. Primi gladiatores. Ausonio præluximus, eúmque emendauimus. Recensio veterum munerum: quæ olim comprehensa Actis, inter res serias. In illustrium funere gladiatores: mox etiam plebeio. idque ex testamento. Postremò & fœminarum.*

AD ipsam rem venio. de qua dicenda mihi quatuor, Origo progressusque, Locus, Homines, Modus. Hæc septa non transiliam: si fecero, lineam aduersum me poscite, vt olim vrbanè Afer. Origo gladiatorum à re funebri exemplum, ab Etruscis. Ita Damascenus Nicolaus tradit: οἱ Ρωμαῖοι, inquit, παρὰ Θυρρηνῶν παρελάβοσι τὸ ἔθος. At fortasse Etrusci ipsi à Græcis. Hermippus certè apud Athenæum τῶν μονομαχόντων εὑρετὰς ἀποφαίνει τὸς Μαντινεῖς, *inuentores gladiatoriæ pugnæ facit Mantinenses.* Et Statius Papinius extremo libro v 1. inter certamina ludósque Argolicos, etiam Gladiatorios tentatos ponit: idque prisco illo (nescio an satis cautè) æuo. Vndecumque exemplum; caussa tamen & origo, Funus. Tertullianus: *Olim quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captiuos vel malo ingenio seruos mercati in exsequiis immolabant. Postea placuit impietatem voluptate adumbrare. itaque quos parauerant, armis quibus tunc & qualiter poterant eruditos, mox edicto die inferiarum, apud tumulos erogabant. Hæc muneris origo.* Et cum illo Seruius ad hoc Virgilij, *Viuentes rapit, inferias quos immolet vmbris. Moris erat,* inquit, *in sepulchris*

*Termini gladiatorij huius sermonis.*

*Gladiatores orti ab Etruscis.*

* *Sed hoc ad duellũ potius pertinere videtur, quàm ad hoc ludicrum.*

*Caussa prabẽdi, Funus.*

*virorum fortium captiuos necari. quod postquàm crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulchra dimicare, qui à busti cineribus Bustuarij dicti.* Quod suggerit de Bustuariis, Ciceroni præibit ad lucem scribenti in Pisonem: *Neque ego cessissem, & me ipsa suo complexu patria tenuisset, si mihi cum illo Bustuario gladiatore* (Clodium intellegit) *& tecum decertandum fuisset.* Mos autem vetus quem tangunt immolandi captiuos, vel ex Homero notus, apud quẽ Achilles in Patrocli rogum coniecit

Δώδεκα μὲν Τρώων μεγαθύμων υἷας ἐσθλὸς.

Itaque prætextu hoc religionis dati publicè Romæ primi gladiatores. Dico publicè. quia facilè suspicor iamanteà priuatim & per conuiuia innotuisse. At publicè primò in Foro boario, anno vrbis CCCCXC. Dederunt M. & D. Bruti, causa mortis patris. Valerius Maximus adnotauit: *Gladiatorium munus primum,* inquit, *Romæ datum est in Foro boario, Ap. Claudio & M. Fuluio Cos. Dederunt M. & D. Bruti, funebri memoria patris cineres honorando.* Et Epitome Liuiana XVI^a. *D. Iunius Brutus munus gladiatorium in defuncti patris memoriam edidit primus.* vbi malè tamen scriptoris an exscriptoris culpa, omissus Marcus. Ausonius,

*Tres primas Threcum pugnas, tribus ordine sellis*
*Iuniadæ patrio inferias misere sepulchro.*

Ita rectè. & * Threces, pro quouis gladiatore. Phæaces non habent hîc locum, quidquid vetus liber eos ingerat, & vir doctus, qui in iis defendendis sudat. Malè autem *tribus ordine sellis,* pro, *bellis.* Nam intellegi vult primò data tantùm tria paria: quæ poëticè

& me-

*Bustuarij gladiatores.*

*Cicero explicatus.*

*Captiui ad bustum immolati.*

*Primi publici gladiatores Romæ.*

**Vide lib. II. cap. XV.*

*Ausonius correctus & explicatus.*

& μεγαλύνων appellat tria bella, non aliter quàm anteà *Tres Threcum pugnas*. Hæc origo. & fallor? an numquam rep. illa priſca data munera, niſi in funere, &, vt Liuius appellat, mortis cauſſa? Non fallor. Illum ipſum ſcriptorem videamus, qui, in libris qui exſtant, pleraque ea ſeriò recenſuit & cum cura. Libro XVI. narrauerat (id enim ex Epitoma liquet) * tria paria data à Iuniis. Ecce annis quinquaginta pòſt,(non enim prius in ipſo Liuio reperio) refert data paria * duo & viginti, anno vrbis DXL. Verba eius è libro XXIII. *M. Æmilio Lepido qui bis Conſul fuit, filij tres L. M. Q. ludos funebres per triduum, & gladiatorum paria duo & viginti per triduum in foro dederunt.* Iterum libro XXXI. interiectis quatuordecim fermè annis, P. Sulpicio C. Aurelio Coss. * paria vigintiquinque. *Ludi*, inquit, *funebres eo anno per quatriduum in foro mortis M. Valerij Læuini cauſſa. paria quinque & viginti pugnarunt.* Et libro XXIX. *P. Licinij funeris cauſſa Viſceratio data, & gladiatores* * CXX. *pugnarunt.* Qui numerus grandior, quàm vt conueniat in id ævum: ſcribamque *gladiatores* LXX. Denique etiam, anno vrbis DLXXX.* paria data triginta ſeptem: quod velut primariæ magnificentiæ recenſuit lib. XLI. *Munera*, inquit, *gladiatorum eo anno parua aliquot alia data. vnum ante cetera inſigne fuit, vt per triduum quattuor & ſeptuaginta homines pugnarint.* Nec *pluriens, quod mens mihi ſuppeditet, gladiatorum mentio in Liuio: niſi lib. XXVIII. de Scipionis munere, quod in prouincia præbitũ, non Romæ. *Scipio*, inquit, *Carthaginẽ ad vota ſoluẽda diis, munúſq. quod mortis cauſſa*

*Olim, tãtum in funere gladiatores.*

*In Liuio diligens recenſus munerum publicorum.*

*I.

*II.

*III.

*IV.

*V.

**Eò, quia libri alij deſunt. Nam pari cura vbique recenſuit.*

*cauſſa patris patruíque parabat, edendum rediit.* Victor hîc interpellans, Quæſo, inquit, quod conſilium aut quod otium Liuio, in grauem illam hiſtoriam res ludicras intexere & has verè nugas? Pighius, Nugas nobis, inquit: non Romanis, qui hæc talia etiam referebant in Acta vrbis. atque inde ſcito Liuium hauſiſſe. Satis id liquet ex Epiſtola Ciceronis ad Cælium: à quo cùm petiiſſet acta omnia vrbis ad ſe mitti, ille *gladiatorum compoſitiones* miſerat, Cicerone leuiter irridente & indignante. Sed ne excidam, quod dicitur, à linea, in funere tantùm olim noti gladiatores: nec eo omni, ſed virorum principum, illuſtriorumque. Non enim dabantur, credo, niſi in funere Indictiuo. Cicero ſuadet 11. de Legibus: *Reliqua ſunt in more*, inquit, *funus vt indicatur, ſiquid ludorum.* Et Feſtus: *Indictiua funera ſunt, quibus adhibentur non ludi modò, ſed etiam deſultores.* Spectauit eò Spartaci immane factum, qui illudens, & quaſi imitatione Romana, Crixo è ducibus ſuis cæſo, CCC. captiuorum morte parentauit, hoc gladiatorio ritu. Appianus narrat. & Florus eleganter: *Ille*, inquit, *de ſtipendiario Thrace miles, de milite deſertor, inde latro, deinde in honorem virium gladiator, defunctorum quoque prælio ducum funera imperatoriis celebrauit exſequiis, captiuoſque circa rogum iuſſit armis dimicare, quaſi planè expiaturus omne præteritum dedecus ſi de gladiatore munerator fuiſſet.* Imperatorum ergo, procerumque. Sed paullatim, vt ſolet, res increbuit: & à tenui canali in mare quoddam (fas ſic loqui) excreuit editionum. Dare enim cœperunt vulgò etiam priuati: & pleriſque ea cura in teſta-

*Gladiatorũ editiones Actis publicis perſcripta.*

*Ea nõ in omni morte, ſed illuſtri.*

*Floro & hiſtoriæ data lux.*

*Mox etiam in priuatorum. Idq; ex teſtamento.*

testamentis. Cauebant enim post mortem suam tot & tot paria sibi edi. Tertullianus: *Priuatorum memoriis legatariæ editiones parentant.* Seneca de Breuitate vitæ: *Quidam disponunt etiam illa quæ vltra vitam sunt, moles magnas sepulchrorum, & operum publicorum dedicationes, & ad rogum munera, & ambitiosas exsequias.* Munera ad rogum, gladiatores sunt: rideo, qui *munia* subiiciunt. Apud Horatium, heredes

*Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum*
*Damnati paria.*

*Firmata & interpretata Seneca scriptura.*

Apud Persium senex,

*——at tu meus heres*
*Quisquis es, à turba paullum seductior audi.*
*Dis igitur genióque ducis centum paria ob res*
*Egregiè gestas indico.*

*Persius explicatus contra vulgum.*

Quæ malè accipi scio de Hecatomba. Cicero pro Sulla: *Ita prorsus. interpositi sunt gladiatores, sed quos testamento patris deberi videmus.* Imò vsque eò mos eualuit, vt ditiori aliquo mortuo, populus Munus efflagitaret, velut debitum, & ex præscripto legis. Exemplum in Suetonio insigne, cum Tiberij reprimentis laude. *Cùm Pollentina plebs,* inquit, *funus cuiusdam primipilaris non prius ex foro misisset, quàm extorta pecunia per vim heredibus ad gladiatorium munus: cohortem ab vrbe, & aliam à Cotyis regno, dissimulata itineris caussa, detectis repente armis, per diuersas portas in opidum immisit. ac partem maiorem plebis & decurionum in perpetua vincula coniecit.* Nec verò hac fini aut in virorum saltem funeribus stetit mos: transiit etiam (pudet pigétque) ad fæminarum. Dux & auctor

*Licentia plebis in flagitandis muneribus.*

*In mulierum etiam funeribus dati.*

rei ſtirps illa Veneris Cæſar Iulius: *qui munus populo epulúmque in filiæ memoriam pronuntiauit, quod ante eum nemo,* ait Suetonius cap. x x v i. Et confirmat Dio: ἐπὶ τῇ θυγατρὶ, inquit, καὶ θηρίων σφαγὰς καὶ ἀνδρῶν ὁπλομαχίας ἐποίησεν. id eſt, *Filiæ ſuæ & ferarum cædes, & virorum pugnas exhibuit.* Nec dubitate quin Diui exemplum cupidè imitatus ſit vulgus. In Spartiano certè lego, *Hadrianum præcipuos honores ſocrui ſuæ ludis gladiatoriis impendiſſe.*

*Inſere Figuram de Buſtuariis Gladiatoribus.*

CAPVT

## CAPVT IX.

*Præter funus & religionem, etiam voluptatis causſa dati gladiatores. A pleriſque magiſtratibus. etiam Sacerdotibus. Arcariis, (in qua voce Lampridius correctus.) Imperatoribus.*

FONTEM crebræ editionis habetis· ſed vnum. Alter ſupereſt, Voluptas. Poſtquàm enim res placere populo viſa, & omne vulgus cupiens harum voluptatum: ecce anſa præbendi reperta eſt etiam citra funus. Florus tangit & carpit: *Vnde*, inquit, *gladiatorij aduerſus dominos ſuos exercitus? niſi ad conciliandum plebis fauorem effuſa largitio, cùm ſpectaculis indulget, ſupplicia quondam hoſtium, artem facit.* Scilicet nimis raræ illuſtrium diuitúmque mortes: & inuentum, vt Magiſtratus darent, Sacerdotes, Principes, deniq. omnes qui gratiam à populo exambire vellent aut honorem. Bene Tertullianus ad hanc inſaniam, *Tranſiit*, inquit, *hoc genus editionis ab honoribus mortuorum ad honores viuentium, Quæſturas dico & Magiſtratus & Flaminia & Sacerdotia.* Et Lactantius lib. v I. *Quid dicendum eſt de iis, qui populari leuitate ducti, vel magnis vrbibus ſuffecturas opes* (notate de effuſo ſumptu) *exhibendis muneribus impendunt? Niſi eos dementes atque furioſos, qui præſtent populo quod & ipſi perdant, & nemo eorum quibus præſtatur accipiat.* Diſtinctè & velut per indicem de omnibus dicam. ſed propitia mihi eſto dea Fides: quia vereor vt apud iſtos inueniá fidem. Primi è magiſtratibus dederunt, vt coniicio, ÆDILES. Quidni enim exemplum rei primum

*Voluptatis causſa præbiti.*

*Ab omnibus qui in honore.*

mum ab illo magistratu censeam, cui, velut peculiare munus, ludi? Adde quòd antiquissima mentio Ædilitiorum aliquot munerum Ciceroni de Officiis secundo: quem est videre. Etiam Cæsar Ædilis munus præbuit, ex Suetonio cap. x. & Plutarcho in eius vita. Editio tamen ea quando cœperit, non callidè scio: vix est vt ante sexcentesimum vrbis annũ, si non imponit mihi Liuius. Cur enim funebria aliquot munera recenset, nulla Ædilitia: quæ probabile fuisse ampla, & Senatorij apparatus? Quandocumque cœperint, manserè tamen ad extrema imperij, recensetq. Capitolinus in Gordianis: *Ædilitatis suæ tempore, duodecim populo Romano munera, id est per singulos menses singula de suo exhibuit.* Secundò dedêre PRAETORES, more item vetere. Plutarchus, in Bruto, Cassium facit eum alloqui: παρὰ μὲν τ̃ ἄλλων στρατηγῶν, ἐπιδόσεις καὶ θέατρα, καὶ μονομάχους: παρὰ σ̃ δὲ τλῶ κατάλυσιν τ̃ τυραννίδος ἀπαιτ̃ν). id est: *Ab aliis quidem Prætoribus munera, & spectacula, & gladiatores: à te verò depulsionem tyrannidis populus exspectat.* Augustus aliquid hac in re innouans & astringens, Τοῖς μὲν στρατηγοῖς συνέταξεν τὰς πανηγύρεις πάσας, ἔκ τε τ̃ δήμου δίδοσθαί τι αὐτοῖς κελεύσας, καὶ προσαπφπῶν μήτε ἐς ἐκείνας, οἰκόθεν τινὰ πλεῖον τ̃ ἑτέρου ἀναλίσκειν, μήθ' ὁπλομαχίαν, μήτ' ἄλλως, εἰ μὴ ἡ βελὴ ψηφίσαιτο· μήθ' αὖ πλεονάκις ἢ δὶς ἐν ἑκάστῳ ἔτει, μήτε πλειόνων εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἀνδρῶν ποιεῖν, ait Dio, libro LIIII. Postea tamen edictum illud, quà de sumptu est, laxauit idem: καὶ Τοῖς βελομένοις τ̃ στρατηγῶν τριπλάσιον τ̃ παρὰ τ̃ δημοσίᾳ σφίσιν ἐς τὰς πανηγύρεις δίδομένης προσαναλίσκειν ἐφῆκεν. Imò è publico aliquid dari vltrà vetuit,

*Coniectura de exortu voluptarij muneris.*

*In Prætoribus mutata sapores.*

*E publico dati sumptus.*

*Sed mox sublati.*

vetuit, narrante eodem Græco, lib. LV. τὸ ἀργύριον τὸ τοῖς στρατηγοῖς, τοῖς τὰς ὁπλομαχίας ποιοῦσιν, ἐκ τοῦ δημοσίου δι-δόμενον, ἐκέλευσε μηκέτ' ἀναλίσκεσθαι. Caligula etiam aliquid constituit hac in re: καὶ δύο στρατηγὲς, ἐς τὰς ὁπλομαχικὰς ἀγῶνας, * ὥσπερ ποτὲ ἐγίγνετο, λαγχάνειν ἐκέλευσε, notat Dio lib. LVIII. At Claudius prorsum vetuit, & à Prætoribus ea munera remouit. Idem Dio: Τοῖς τε στρατηγοῖς τὰς ἀγῶνας τὰς ὁπλομαχικὰς ἀπηγόρευσε μὴ ποιεῖν. fortasse tunc, cùm Quæstoribus imposuit, vt dicam. Videntur tamen iterum irrupisse, & sub Traiano ea Iuuenalis agnoscit:

*——quanti sua funera vendant*
*Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone.*
*Nec dubitant celsi prætoris vendere ludis.*

De arena enim ij versus. Et Lampridius in Commodo: *Commodianum etiam Prætorem dixit, quo præsente sæpissimè gladiator pugnauit.* vbi legam, *præsidente*. Tertiò

QVAESTORES. institutio Claudij, vt disertè notat Tranquillus cap. XXIIII. *Collegio Quæstorum pro stratura viarum gladiatorium munus iniunxit.* Quod tamen conatus Nero tollere, qui sanxit, *vt ne designatis quidem Quæstoribus gladiatores edendi necessitas esset.* Sed reduxit denuò Domitianus, & *Quæstoria munera olim omissa reuocauit*, vt scribit Suetonius capite IIII. Itaque crebra mentio deinceps. Capitolinus in M. Antonino: *Gladiatorium quasi priuatus Quæstor edidit munus.* Idem in Vero: *Medius inter Pium & Marcum resedit, cùm Quæstor populo munus daret.* Spartianus in Caracalla: *Papinianus qui ante triduum Quæstor*

*Credo id capiendum, vt iterũ publico sumptu dederint permissu Caij. Claudius prætoria munera tollit. Quæ mox iterũ in vsu.*

*Lampridius correctus.*

*Quæstorum munera Nero tollit.*

*Frustrà reuocante iterum Domitiano.*

*opulentum ediderat munus.* Non leuauit sed auxit Quæstorum onus Alexander: qui *Quæstores candidatos iussit ex sua pecunia munera populo dare: sed vt post Quæsturam Præturas acciperent, & prouincias regerent,* ait Lampridius. Quarto dedêre

* *Non crebrò reperta consularia munera. dico de gladiatoribus. Nam de Venatione, sæpe. Et ad eam hæc ipsa possis referre, excepto Trãquilli loco.*

CONSVLES,* exemplis tamen haud ita crebris. Cicero secundo de Offic. *magnificẽtissima Pompeij munera secundo consulatu* celebrat. Marcellus Iurisconsultus l. XXXVI. De condit. & demonstr. *Viuo Mæuio Seius consul designatus est, & munus edidit.* Et facit Suetonij locus, Nerone capite IIII. Hæc de magistratibus reperio. Iam verò dedêre etiam

SACERDOTES. atque ita Pontificales ludos in Tranquillo obseruo Aug. cap. XLIIII. & Sacerdotales ludos in Plinio libro VII. Epistolarum. Addite & Tertulliani verba, quæ suprà. Item nouo nomine & re

ÆRARII. Ita enim sanè in Lampridij Alexandro legitur: *Ærarios verò instituit qui de area* (ita vetus lectio) *fisci ederent munera, eadémque parciora.* quanquam emendandum censeo, *Arcarios instituit,* & mox, *de arca fisci.* Arcarij enim apud * Symmachum, Cassiodorum, & in Codice Theodosij lecti, qui præerant arcæ. Denique

*Lampridius emendatus.*

*Arca & Arcarij.*
* *Iureti Notas ad Symmachum, vide lib. I. epist. LXII.*

IMPERATORES, ita quidem frequenter, vt hoc eximium censuisse videantur inter munia Principatus. Dabant enim Natali suo: dabant Quinquennalibus, Decennalibus, Vicesimalibus: dabant in Dedicatione publicorum operum: in victoria & triumpho: & per variam occasionem, vti ex historia in-

*Principes quando dederint.*

ria inferioris æui promptum colligere, ne fastidium vobis pariam tot exemplis.

## CAPVT X.

*Nec Romæ solùm, sed in prouinciis. Vbi reges dabant, præsidéſque. Paulatim in coloniis & municipiis increbuit mos: vbi minores magistratus dabant. Posteà promiscuè priuati, vario prætextu. Dies etiam, quibus ex more dabant.*

ROMAE ista. Quid in prouinciis? certe & eas peruasit studium huius ludicri, velut tabes. Primus Perseus Macedonum rex transtulit in Græciam: quod docuit me Liuius libro XLI. *Spectaculorum quoque magnificentia*, inquit, *reges omnes vicit superiores. reliquorum sui moris & copia Græcorum artificum: gladiatorium munus Romanæ consuetudinis, primò maiore cum* * *terrore hominum insuetorum ad tale spectaculum, quàm cùm voluptate dedit. deinde sæpius dando, & modò vulneribus tenus, modò sine missione etiam, & familiare oculis gratúmque id spectaculum fecit, & armorum studium pleriſque iuuenum accendit.* Nec dubiè alij reges & dynastæ, in sua regna. Et profanæ solùm gentes? imò ipsi ecce Iudæi. apud quos * Herodes rex sub Augusto in singulis pænè opidis theatra & amphitheatra constituit. & Agrippa vna commissione dedit paria septingenta, Romanos quodammodo ipsos exsuperans. Iosephus lib. XIX. in hæc verba: Επεδαψιλεύσατο αὐτῶν τὸν καθιερωσιν μεγαλοφρεπῶς, ἐν τῷ ἀμφιθεάτρῳ, πλήθει μονομάχων, τὸν αὐτῶ δεικνὺς

*Dati etiam in Prouinciis, à regibus.*

*Quando in Macedonia, & fortasse Græcia, primùm.*

* *Quod ipsũ hodie euenire.*

*Quando in Iudæa.*

* *Vide Ioseph. lib. XIX. variis locis.*

*Multitudo gladiatorum in Iudæa.*

δεικνὺς μεγαλόνοιαν· ἔνθα καὶ τῷ κατ' πλῆθος ἀντίταξιν, βεληθεὶς ἡδύνθαι τῶν θεωμένων τέρψιν, ἑπτακοσίους ἄνδρας ἑπτακοσίοις μαχησομένους ἔπεμψε, κακούργους ὅσους εἶχεν ἀποτάξας εἰς τήνδε τὴν πρᾶξιν, ἵνα οἱ μὲν κολασθῶσι, τὸ πολέμου δὲ ἔργον γένηται τέρψις εἰρήνης. id est: *Dedicationem eorum operum magnificè celebrauit, in Amphitheatro, copia gladiatorum, ostendens animi sui magnitudinem. Vbi etiam, vt multitudine inter se pugnantium augeretur voluptas spectantium, septingentos viros cum septingentis commisit, noxios quotquot habuit in hanc operam destinans: vt & illi pœnas dignas luerent, & belli imago, voluptas in pace esset.* Nec reges solùm insanierunt hanc insaniam, sed etiam in prouinciis passim Proconsules Præsidésque. Ab ea mẽte est, quod Tacitus Iunio Blæso qui Pannoniæ Præfectus, gladiatores adtribuit; lib. I. Annal. *Nocte proxima*, inquit, *iugulauit per gladiatores suos, quos in exitium militum habet atque armat.* Et mox: *Pars militum gladiatores, qui è seruitio Blæsi erant, vinciunt.* Et multo clarius lib. XIII. *Edixit Cæsar nequis magistratus aut Procurator qui prouinciam obtineret, spectaculum gladiatorum aut ferarum, aut quod aliud ludicrum ederet. Nam antè non minus tali largitione, quàm corripiendis pecuniis subiectos adfligebant: dum quæ libidine deliquerant, ambitu propugnant.* Vbi etiam vetitas eiusmodi editiones videtis: sed obedientiâ, vt credo, non diuturnâ. Iam verò coloniæ & municipia pleraque æmulabantur: & passim inter reliquias vetustatis Amphitheatra etiamnunc, cædium istarum sedes. Atque vt Romæ magistratus præbebant: sic in coloniis municipiisque Duumuiri aut Ædiles. Apuleius indicat libro X.

*Dati etiam à Præsidibus.*

*Tacitus explicatus.*

*Dati in coloniis & municipiis vulgò.*

*Ab ædilibus.*

*Thyasus,*

*Thyasus*, inquit, *oriundus patria Corintho, gradatim per mensis honoribus, quinquennali magistratu fuerat destinatus. & vt splendori capessendorum responderet fascium, manus gladiatorum triduanis spectaculis pollicitus, latius munificentiam suã protendebat.* Nam quod scribit quinquennalem magistratum, non alios intellegit quàm Ædiles quinquennales. Sed & multi priuati dabant, nulla lege, ad populi tantùm gratiam & pecuniæ suæ illudentes. Sic apud eundem Apuleium lib. IIII. in Platearum ciuitate Democharis quidam, *munus gladiatorum editurus, genere primarius vir, & opibus pluribus, & liberalitate præcipuus, digno fortunæ suæ splendore publicas voluptates instruebat.* Sic apud Martialem nescio quis cerdo: quem poëta tangit iure,

*Apuleio lux, silente Beroaldo.*

*Dati etiam à priuatis.*

*Imò à cerdonibus.*

*Das gladiatores sutorum regule cerdo:*
*Quodque tibi tribuit subula, sica rapit.*

Apud Tacitum, Fidenis, Atilius quidam generis libertini. Et ab hac causa in lapidibus frequenter decreti honores leguntur: vt Prænestæ,

*Statuæ ob prætitionem, & tituli passim.*

A. MVNIO. A. F.
MIN. EVARISTO
*SPL. EQ. R. PAT. COL.
OMNIB. HONOR.
NITIDE. FVNCTO
OB. INSIGNEM. EIVS. EDITIONEM
MVNERIS. BIDVI. POPVLO
POSTVLANTE. BIGAM
PLACVIT. EQVEST. STATVA
DECRETO. ORDINIS. EVM
ORNARI
L. D. D. D.

*id est, Splendido equiti Romano, patrono coloniæ.*

Item iuxta Neapolim:

L. EGNATIO. INVENTO
PATRI. L. EGNATI. POLLI
RVFI. HONORATI. EQVO. P.
AB. IMPERATORIBVS. ANTONINO
ET. VERO. AVG.
HIC. OBLITERATO. MVNERIS. SPECTACVLO
IMPETRATA. EDITIONE. AB. INDVLGEN.
MAX. PRINCIPIS. DIEM. GLADIATORVM
ET. OMNEM. APPARATVM. PECVNIA. SVA
EDIDIT
COLONI. ET. INCOLÆ
OB. MVNIFICENTIAM. EIVS
L. D. D. D.

*Dabant pro salute principis.*

Frequens etiam titulus præbendi, Salus Imperatoris. Sic Sueſſæ C. Titio cuidam honores decreti in marmore leguntur, QVOD. PRO. SALVTE. ET. INDVLGENTIA. IMP. ANTONINI. PII. FELICIS. AVG. MVNVS. FAMILIAE. GLADIATORIAE. EX. PECVNIA. SVA. EDIDISSET. Quanquam id Claudius, quod in ſe erat, vetuiſſet, narrante Dione libro vlt. *Τῖς τε ϛρατηγοῖς*, inquit, *τὲς ἀγῶνας τὲς ὁπλομαχικὲς ἀπηγόρδυσε μὴ ποιεῖν, καὶ εἰ δή τις ἄλλος αὐτὲς ὁπωδή ποτε ἐπιτελοίη, ἀλλὰ μή τι νεῶς καὶ ὑπὲρ ἑαυτῦ σωτηρίας γιγνομένων σφῶν ἢ γράφεσθαι ἢ καὶ λέγεσθαι ἐκέλδυσε.* id eſt: *Prætoribus edixit gladiatorios ludos non præbere: & ſiquis alius eos vbicumq. locorum daret, ne ſuſceptos eos factosq. pro ſalute ſua aut ſcriberet aut diceret.* Atque hi fortaſſe Honorarij ludi Suetonio dicti, in Aug. cap. XXXII. quia in honorem Principis ſuſcepti.

*Vetuit Claudius, fruſtrà.*

ſuſcepti. etſi aliam eius verbi ſententiam haud ſperno. Poſtremò non homines ſolùm certi qui darent, ſed etiam tempora quædam quibus darentur. Saturnalia imprimis, vt prædixi. Deinde Quinquatruum feſti dies. Ouidius:

*Certis diebus dari.*
*Saturnalibus.*
*Quinquatribus.*

*Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro,*
*Cauſſa, quòd eſt illa nata Minerua die.*
*Altera tréſque ſuper raſa celebrantur arena,*
*Enſibus exertis bellica læta dea eſt.*

Quod ait diem primam puram à ſanguine: ita capio, vt pugnauerint quidem, ſed rudibus non ferro. Dio ad hanc rem ſcribit lib. LIIII. Auguſtum dediſſe μονομαχίας ἀγῶνας, ἐν τοῖς Παναθηναίοις, τῆς τῶν παίδων ὀνόματι, *gladiatorum ludos, Quinquatribus, filiorum nomine.* Atque etiam per adulationem Senatus, dies vnus altérue gladiatoribus ſæpe additus, in honorem Cæſaris: vt in eoipſo ſcriptore obuia exempla.

*Dies inſerti, ad honorem principis.*

## CAPVT XI.

*Crebritas munerum, & multitudo pugnantium, ſupra noſtram fidem. Plinius ac Suetonius probabiliter emendati.*

INTER QVIESCENTE paullũ Pighio, Victor, Non teneo me vltrà, inquit. & quis hic furor? quæ publica clades orbisterræ? Pighius illum intuens, Magis id dicas Victor, inquit: ſi numerum tibi dierum recenſuero, quibus dati: numerum hominum, qui dati. Cæſar Ædilis CCCXX. paria dedit, auctore Plutarcho. Adrianus Cæſar *Gladiatorium munus*

*Crebritas gladiatorum & numerus.*

*per sex dies continuos exhibuit*, narrante Spartiano. Gordianus, *ædilitatis suæ tempore duodecim populo Romano munera, id est, per singulos menses singula exhibuit: ita vt* * *gladiatorum nonnumquam quingena paria exhiberet, numquam minus centenis quinquagenis*, vt scribit Capitolinus. Et nugas adhuc loquor & vitreas fractas, præut Titi editio fuit; qui Gladiatores, Venatus, Naumachias per cētum dies dedit, auctore Dione. Quid plura? ecce bonus & moderatus Princeps Traianus, spectacula eiusmodi per dies centum vigintitres continuauit, & gladiatorum decem millia dedit. Tu Lipsi abnutas? dabo fidei meæ causſa Dionis ipsa verba. καὶ θέας, inquit, ἐν τρίσι καὶ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἡμέραις ἐποίησεν, ἐν αἷς θηρία τε καὶ βοτὰ χίλιάπτε καὶ μύριάπτε ἔσφαγη, καὶ μονομάχοι μύριοι ἠγωνίσαντο. Itaque magna copia Romæ & in prouinciis gladiatorum: nec diutius conniueo in menda quæ Plinij codices obsedit lib. XI. cap. XXXVII. *Viginti*, inquit, *gladiatorum paria in Caij principis ludo fuerunt, in iis duo omnino qui contra comminationem aliquam non conniuerent.* Vestram fidem! in magnifici illius & in has voluptates effusi Principis ludo, dumtaxat viginti paria? At ego scio plures sæpe habuisse vnum aliquem è Quiritium plebe. Gordianus ecce Romæ habuit *gladiatorum fiscalium paria mille*, ait Capitolinus. nec tamen aut imperium tunc, aut ipse, ad Caligulæ & illius æui opes. Otho Imperator duo millia gladiatorum contra Vitellium armauit, auctore Tacito. credo, ex iis tantùm, qui in Principis fisco. Fidenter igitur rescribo, *Mille gladiatorum paria.* & video erroris causſam. Notatus

** Ergo vnus ille nō minus tribus millibus dedit, vno Anno.*

*Incredibilis editio Traiani.*

*In Plinio mendum offensum.*

*Et sublatum.*

tatus apud Plinium ſcilicet numerus fuit, non perſcriptus. Nota autem millenaria hæc olim, in lapidibus obuia, ∞ : quæ ignorabilis obiecta exſcriptori. Itaque cenſuit, ſimilitudine aliqua captus, geminatum X eſſe: fecitque viginti. Nunquam mihi fides apud vos, ſi hodie huius rei ſum mendax. Idem planè mendum in Suetonij Tiberio, cap. LXI. de Principis illius immani ſæuitia: *Viginti*, inquit, *vno die abiecti tractique, interque eos pueri & feminæ.* Corrigo vtiliter, *Mille vno die.* Quidni corrigam? Tacitus de eâdem re: *Iacuit immensa strages, omnis sexus, omnis ætas, illustres, ignobiles, dispersi aut aggregati.* Quæ hîc (vt cum Plauto loquar) paratragœdiat Tacitus, non eſt vt locum habeant in viginti homullis. Denique* hiſtoria ipſa refellit, quam cenſeo legatis in Dione. Quod autem ad rem, de qua Plinius: certè magis mira eius adſeueratio, ſi inter tam multos reperti dumtaxat inconniuis oculis duo. non mira, ſi inter viginti.

*Millenaria nota ſæpe corrupta.*

*Etiam in Suetonio.*

* *Omnes enim necati, qui accuſati in cauſa Seiani.*

## CAPVT XII.

*Deteſtatio huius verè ſceleris. quæque leges ab antiquis latæ, ad coërcendam effuſam præbitionem: Eæ duorum generum, quæ certos homines ab editione arcerent: quæque numerum & modum editioni ipſi ponerent. Poſtremò tota res ſublata. Ammianus explicatus & Prudentius.*

ORIGINEM videtis, progreſſumque: & quàm non temerè à funere orta res, quæ reuera funus & peſtis orbiterræ. Credo, imò ſcio, nullum bellum tantam cladem vaſtitiemque generi humano intu-

*Calamitas orbi inuecta per hos ludos.*

*Diuinatio probabilis in numero interfectorum.*

liſſe, quàm hos ad voluptatem ludos. Numerum cum animis veſtris recenſete dierum quos dixi, hominúmque: mentior, ſi non vnus aliquis menſis Europę ſtetit vicenis capitum millibus aut tricenis. Heu mores! Neronem culpamus aut Caligulam, qui centum aliquot homines vita interfecerunt, ira ſiue metu: ecce vnus editor, homines ſupra mille ludens interfecit, & die non toto. Atque hæc delicias vocabant, & cibum oculorum: fiebántque non per vnius alteriúſue laſciuiam, ſed velut publica lege, & decreto. Itaque eò ventum eſt, vt aliis legibus effuſio iſta fuerit coërcenda: quas ordine dabo. Primò ad ambitum reprimendum, inuenio cautum, nequis daret candidatus. Legem eam tulit M. Tullius conſul: & vis eius ſententiáque expreſſa, Interrogatione in Vatinium: *Cùm mea lex dilucidè vetet, biennio quo quis petat, petiturúſue ſit, gladiatores dare, niſi ex teſtamento præſtituta die: quæ tanta in te ſit amentia, vt in ipſa petitione gladiatores audeas dare?* Et pro Seſtio: *Acta mea ait ſibi displicere. quis neſcit? qui legem eam contemnat, quæ dilucidè vetat, gladiatores biennio quo quis petierit aut petiturus ſit dare?* Ex quibus poſtremis verbis facile viſu & ſublatu mendum in priore loco contra Vatinium, *biennio quo quis petat.* Potius enim, *quo quis petiit.* Cautum etiam de numero gladiatorum aliquid, ſub idem tempus. Suetonius de Ædilitate Cæſaris, cap. X. *Cùm multiplici familia vndique comparata, inimicos exterruiſſet: cautum eſt de numero gladiatorum, quo ne maiorem cuiquam Romæ habere liceret.* etſi id interdictum ad habitationem potius in vrbe pertinere videatur,

*Leges reprimendis editionibus.*

*Vetiti dare Candidati.*

*Cicero correctus.*

*Numerus definitus, ſupra quem ne haberẽt in vrbe.*

videatur, quàm ad pugnantium numerum. Sicut in Catilinaria coniuratione, item remoti gladiatores ab vrbe: &, *decreuêre*, inquit Salluſtius, *vti gladiatoriæ familiæ Capuam & in cetera municipia diſtribuerentur.* Sed Auguſtus certè etiam de numero parium cauit, edixitq. anno vrbis DCCXXXII. μήθ' ὁπλομαχίαν πλεονάκις ἢ δὶς ἐν ἑκάστῳ ἔτει, μήτε πλείονων εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἀνδρῶν ποιεῖν. quod ipſum tamẽ pertinuiſſe modò cenſeo ad editiones Prætorum, qui publico, in parte, ſumptu præbebant: vti ex prioribus Dionis verbis apparet. *Ne darent etiam.*

At Tiberius firmus contra iſta, certum numerum in cõmune præſcripſit, narrãte Tranquillo, cap. xxxiiii. *Ludorum ac munerum*, inquit, *impenſas corripuit, mercedibus ſcenicorum reciſis* (ita verius quàm, *reſciſſis*) *paribúſque gladiatorum ad certum numerum redactis.* Ad hoc edictum, ſiue Sc. fuit reſpexit Tacitus lib. xiii. Annal. *Non referrem vulgatiſſimum Senatuſconſultum, quo ciuitati Syracuſanorum egredi numerum edendis gladiatoribus finitum concedebatur, niſi Pætus Thraſea contradixiſſet, præbuiſſetq. materiam obtrectatoribus arguendæ ſententiæ.* Sed poſt Tiberium Caligula, conculcato hoc interdicto, ἐπέτρεψε τοῖς βουλομένοις καὶ ὑπὲρ τὸν νόμον τὸν ἀριθμὸν τῶν μονομαχούντων χρῆσθαι. *permiſit volentibus cunctis, etiam ſupra numerum definitum, gladiatores præbere.* Et Domitianus gratificatus contra eandem legem ingenio ſuo & ſæculo videtur, ducente nos Plinij loco, in Panegyrico: *De ampliando numero gladiatorum, aut inſtituendo collegio fabrûm conſulebamur: & quaſi prolatis imperij finibus, nũc ingentes arcus, nunc mẽſes nomini Cæſarũ dicabamus.* Nec de numero ſolùm Tiberius, aliquid etiam

*Tiberij ea de re edictum.*

*Tacitus explicatus.*

*Caligula nullum fecit Tiberij interdictum.*

*Fortè & Domitianus.*

*Cautum qui darepoſſent, qui non poſſent.*

etiam ſtatuit de munerariis. cauitque Sc. *nequis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res*, ait Tacitus lib. IIII. Fortaſſe & idem vetuit, nequis edidiſſe vellet libertus. Fuiſſe id ſcitum, colligo ex Suetonij Claudio cap. XXVIII. qui Harpocræ liberto, *lectica per vrbem vehendi ſpectaculáque publicè edēdi ius tribuit.* Niſi enim id antè vetitum, indulgeat nunc fruſtrà. Quin & Nerone Principe ſtatutum, nequis Præſes aut Procurator qui prouinciam obtineret, gladiatores daret. Tacitus auctor lib. XIII. cuius verba memini. referre antè. Reperio etiam Sumptum ad munera, coërcitum plus ſemel. Antoninus Pius *Sumptum muneribus gladiatoriis inſtituit*, ait Capitolinus: id eſt, profuſionē vetuit, certa pecunia definita. Poſt illum Marcus Philoſophus *Gladiatoria ſpectacula omnifariam temperauit*, ſiue, vt idem Capitolinus poſteà ait, *Gladiatorij muneris ſumptus modum fecit.* Alexander verò, monente Lampridio, *Habuit in animo vt munera per totum annum diſpergeret, vt per* XXX. *dies munus populo daretur:* ſalubri conſilio, ſed ſine effectu. Perrupit enim omnia ſepta inueterata licentia: nec iam princeps aut lex, qui capere poſſet tam effuſis cupiditatibus modum. Itaque tardè, imò ſerò, deſcenſum eò, vt gladiatoria ſpectacula prorſum tollerentur. Eam ſublationem Zonaras Neruæ Imperatori adſignat, qui, vt ait, *gladiatorum compoſitiones & certamina vetuit.* Parum cautè, veréque. quoniam reuera ſub Nerua & poſt Neruam manſēre ij ludi: ſed ſumptus dumtaxat numerúmque imminuit. & circumſpectius Dio, πολλὰς, inquit, ἱππομαχίας,

*Non liberti.*

*Nō Præſides.*

*De ſumptu item cautū.*

*Tandem ſublati gladiatores.*

*Zonaræ lapſus.*

μίας, ἄλλας τε πινὰς θέας κατέλυσε, συς έλλων ὡς οἴονται δαπανήματα. Verius pulcherrimæ rei laudem ad Constantinum Imp. referemus: cuius vtinam cetera fuissent ad hoc exemplum! Is primus Romanorum Principum, gladiatoria spectacula è toto orbe Romano submouit, anno ab vrbe condita ∞.LXVII. pæne sexcentis, post instituta ea, annis. Auctor Sozomenus lib.I. Παρὰ δὲ Ρωμαίοις, inquit, τότε πρῶτον ἡ τῶν μονομάχων ἐλύθη θεά. Et Eusebius lib.IIII. De vita Constantini: διεκελεύετο, inquit, μὴ θύειν εἰδώλοις, μὴ μονομάχων μιαιφονίαις μολύνειν τὰς πόλεις. id est: *vetuit idolis sacrificari, vetuit gladiatorum cædibus pollui vrbes.* Meminit & Callistus libro VII. Quin etiamnunc inserta Iustinianæo * Codici Constantini ipsa lex: *Cruenta spectacula, in otio ciuili & domestica quiete, non placent. quapropter omnino gladiatores esse prohibemus.* Et hoc quidem rectè notatum à peritis duobus nostri æui Iurisconsultis: quibus suggero Ammiani Marcellini egregium locum lib.XIIII. de sæuitia Constantij: *Erat*, inquit, *diritatis eius hoc quoque indicium nec obscurum, nec latens, quòd ludicris cruentis delectabatur, & in Circo sex vel septem aliquotiens vetitis certaminibus pugilum vicissim se concidentium perfusorúmq. sanguine specie, vt lucratus ingentia lætabatur.* Nam ludicra cruenta, ita, vt Constantini lex *cruenta spectacula.* & quòd ait Pugiles, vsurpat sanè pro gladiatoribus, ritu Græcanico, quibus πύκτης & * πυκτεύειν etiam de istis. Ipse clarè indicat, cùm addit, *sese concidentium & sanguine perfusorum*: multoque clarius, cùm ait, *vetitis certaminibus.* respiciens scilicet ad Constantini interdictum.

*Constantini lex.*

**Lib. XI. tit. XLIII.*

*Ammiano data lux.*

** Artemidorus in capite περὶ μονομάχων.*

Et repressit quidem igitur Christianus Princeps; eoq. nec apud Saluianum, qui ludos exagitat ex professo, memoria gladiatorum; nec apud Cassiodorum quidem accurata: tamen & sub Constantio, & postea sub Theodosio ac Valentiniano conati irrumpere. Imò irrupêre. Lex in Theodosiano Codice est, qua *Munerarij prohibẽtur auctoratos militiæ, vel Palatina præditos dignitate, in ludum producere.* Si in istis tantùm vetitum: iure argumentor, permissum in aliis. Adde & l. quanquam. Cod. Theod. De paganis. Etiam Augustinum lib. VI. Confess. cap. VIII. qui *Alypium suum, gladiatorij spectaculi inhiatu incredibiliter abreptum* scribit. Etiam sub Honorio, Prudentius locis aliquot describit, & damnat: votum imò precésque interponit ad Principem, pro tollendo:

*Iterũ in vsu gladiatores.*

*Lib. vlt. contra Sym.*

*Quod genus vt sceleris iam nesciat aurea Roma*
*Te precor Ausonij dux augustissime regni:*
*Et tam triste * sacrum iubeas, vt cetera, tolli.*

* *Benè, Sacrum. quia Dis inferis placandis.*

Et paucis interfitis:

*Arripe dilatam tua, Dux, in tempora famam,*
*Quodque patris superest, successor, laudis habeto.*
*Ille vrbem vetuit taurorum sanguine tingi:*
*Tu mortes miserorum hominum prohibeto litare.*
*Nullus in vrbe cadat, cuius sit pœna voluptas.*
*Iam solis contenta feris infamis arena*
*Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.*

Et sustulit sanè Honorius, occasione Thelemachi cuiusdam monachi, qui gladiatores Romæ pugnantes, pio quodam ardore diducere conatus, à populo lapidibus obrutus fuit. De quo facto Theodoretus lib. V. Histor.

Hiſtor.Eccleſ. cap. xxvi. & Caſſiodorus in Tripertitæ lib.x. cap.ii. Ita obuiam itum ludo non ludo: & ſublata adeò res cum memoria gladiatorum, vt ægrè nunc ad intelligentiam retrahere poſſimus morem fugitiuum.

## CAPVT XIII.

*Additamenti loco ad primam ſermonis partem adiectum, de habitu Edentium: de habitu Spectantium. Suetonius illuſtratus.*

DE origine, progreſſu, déque interdicto gladiatoriæ rei, quod ſatis eſt, dixi: non abſurdè adiunxero, quo habitu dederint, quoque modo. Duo genera collocaui inter Editores: Magiſtratus,& Priuatos. Qui enim munus mortis cauſſa dabant, plerique videlicet fuêre priuati: tamen dabant non quaſi priuati. Per dies enim omnes muneris,prætextæ illis ius,lictorum,accenſi: omninóq.imaginem quandam gerebant magiſtratus. De prætexta,Feſtus: *Prætexta pulla nulli alij licebat vti,quàm ei qui funus faciebat.* Cicero in Piſonem: *Sex. Clodium qui numquam anteà prætextatus fuerat, ludos facere & prætextatum volitare paſſus es.* Ex hoc ritu Suetonium nouè interpretor Claudij cap.ii. *Ob valetudinem gladiatorio munere, quod ſimul cum fratre memoriæ patris edebat, palliolatus nouo more præſedit.* Bene,nouo more: debuiſſet enim prætextatus. Sed palliolum, in morbo veſtis. Quinctilianus: *Palliolâ ſicut faſcias & focalia ſola excuſare poteſt valetudo.* Seneca libro.iiii. Natural. Quæſtionum

*Habitus veſtiſque Editorum.*

*Prætextati fuêre.*

*Suetonius nouè illuſtratus.*

*Palliolati, ægri.*

*Videbis quosdam graciles, & palliolo focalique circumdatos, pallentes & ægros.* De lictoribus & accenso, Cicero de Legibus: *Reliqua sunt in more, funus vt indicatur siquid ludorum: dominúsque funeris vtatur accenso atque lictoribus.* Nec illud in occasione prætereo, propriam quandam vestem fuisse in munere funebri ipsorum spectatorum. Spectabant enim in penula pulla. Dio LV. κ' ἀν τότῳ ἠ ἐπιτάφιοι ἐπὶ τῷ Αγρίππᾳ ὁπλομαχίαι, φαιὰν ἐσθῆτα τῆς τε ἄλλων, πλὴ τῶ Αυγέστε καὶ αὐτῶν τῆς υἱέων ἰωτῶ, λαβόντων, καὶ ἑνὸς πρὸς ἕνα καὶ πλόνων πρὸς ἴσους ἐγένοντο. id est: *Intereà & funebre munus gladiatorium editum, cùm singulis certantibus, tum pluribus contra pares, quod cùm alij omnes spectarunt in pulla veste, tum & filij Augusti, solo ipso excepto.* Lampridius in Commodo: *Contra consuetudinem, penulatos iussit spectatores, non togatos ad munus conuenire. quod funeribus solebat. ipse in toga pulla præsidens.* Quibus è verbis vtrumque discimus, in funebri munere penulatos; in alio, togatos spectatores fuisse. Nec procudo vltrà sermonem limitis primi.

*Lictores & accensus Editori.*

*Spectatores in qua veste.*

*Penulati, ad funebre munus.*

*Ad voluptarium, Togati.*

## CAPVT XIIII.

*Pars secunda, De loco. qui cùm duplex, primò de Ludo dictum. Cui rei inuentus: quàm multi Romæ: qui præfecti & administri. De victu & sagina gladiatorum in his ludis. qui fuêre etiam extra Romam. & aliquid de ludorum forma.*

AD locum transeo. qui duplex, Ludus, & Arena. Illum appello, vbi habiti altíq. gladiatores: hunc,

hunc, vbi dati & producti. De priore, prius. *Ludus gladiatorius*, inquit Isidorus, *inde dictus quòd in eo iuuenes vsum armorum condiscant.* Nam primò credo gladiatores domi & in reliqua familia fuisse; mox crescente numero, & crebritate editionum, aperti iis velut publici quidam ludi, & in his armorum magistri. Itaque quidam splendidiores, etiam post institutos ludos, habuêre domi eos aut apud amicos. Ita C. Cæsar *Tirones neque in ludo neque per lanistas, sed in domibus per equites Rom. ac etiam per Senatores armorum peritos erudiebat*, scribit Sueton. cap. XXVI. Quod tamen perrarum, & vulgò ars pugnandi docta exercitáque in ipsis ludis. Prudentius:

*De ludis gladiatorum.*

*Anteà in domibus.*

*Ludi ad artem desti-nati.*

*Nam quid vesani sibi vult ars impia ludi?*
*Quid mortes iuuenum, quid sanguine * pasta voluptas?*

* *Malo* parta.

Seneca libro II. de Ira: *Non alia quàm in ludo gladiatorio vita est, cum iisdem viuentium, pugnantiúmque.* Lusorium appellasse Lampridius videtur in Eligabalo: *Strauit sibi*, inquit, *triclinium in summo Lusorio, & dum pranderet, noxios* (ita appellat gladiatores) *& venationes sibi exhibuit.* vel vt mauelim, *ibi exhibuit.* Et in Saluiano Massilienſi Episcopo idem verbum, lib. VI. *Longum est nunc dicere de omnibus Amphitheatris, Odeis, Lusoriis.* Græcè καταγώγιον μονομάχων appellat Herodianus, quasi dicas diuersorium domiciliúmque. De Commodo: εἰς τοσοῦτον, inquit, προεχώρησε μανίας, ὡς μηκέτι βάλεσθαι βασίλειον ἐστίαν οἰκεῖν, ἀλλὰ τὸ μετονομασθῆναι ἐβούλετο μονομάχων καταγώγιον. Quam eamdem monstri illius insaniam etiam Lampridius & Xiphilinus adnotarunt. Suidas μονομαχοτροφεῖον dicit, contentus tamen,

*Lusoria, dicti etiam.*

men, sine alio additamento, posuisse nudam vocem.

*Plures ludi in vrbe Roma.* In vrbe autem plures eiusmodi ludi, nominibus suis noti & discreti: quorum in P. Victore mentio, & passim in marmoribus priscæ vrbis. Repperi istos. LVDVM GALLICVM. LVDVM DACICVM. LVDVM MAGNVM. LVDVM MAMERTINVM. LVDVM MATVTINVM. & in Horatio

*Eorum catalogus.*

*Distincti ludi bestiariorum & gladiatorum.* in ea ad Pisones, *Ludum Æmilium.* E quibus tamen non abnuerim, quin aliqui etiam bestiariorum fuerint: vti certè * Matutinus. Hisce ludis non Lanistæ solùm præerant, vt dicam iam nunc, sed etiam digniori nomine Procuratores. nec ij de plebe, sed ex ciuium primis: suitq. velut inter dignitates & insulas id munus. Lapis priscus: CVRATOR. MVNERIS. PVBL. GLADIATOR. Tacitus Annali XI. *Decius quoque Calpurnianus & Sulpicius Rufus Procurator ludi, eâdem pœna adfecti.* Inscriptio alia vetus:

**Nam matutina spectacula, ferarum.*

*Procuratores ludorum.*

T. FLAVIO. T. F. GERMANO
CVRATORI. TRIVMPHI. FELICISSIMI
GERMANICI. SECVNDI. IMP. CÆS. FL
DOMITIANI. AVGVSTI. EXORNATO
SACERDOTI. SPLENDIDISSIMO
PONTIF. MINOR. PROC. *XX. HER
PROC. PATRIMONI. PROC. LVDI. MAGNI
PROC. LVDI. MATVTINI

**Vigesimæ Hereditatiũ.*

*Curatores munerum.* Nec longè diuersi ab istis Curatores munerum ac venationum: quorum mentio Suetonio in Caligula, cap. XXVII. Et vis addam quod vos medici rideatis, Victor? Medici etiam sui singulis his ludis: nec id noui sæculi inuento, sed diu ante Imperatores. Lapidem legi hunc: SILVA-

*Medici ludorum.*

*Iiq; veteres.*

SILVANO. SANCTO
C. AVSTVRNIVS. MEDI
CVS. LVD. GALLIC
PORTIC. ET. EXEDR.
ET. SIGN. ÆN.
VOTO. SVSCEP
L. M.
DEDIC. KAL. MAI
L. MARCIO. ET
SEX. IVLIO. COS.

In quo sculpti Consules incidunt annum Vrbis DCLXIII. Adeò antiqua cura illa in valetudine gladiatorum. Legi & in alio lapide, EVTYCHVS AVG. L. MEDICVS. LVDI. MATVTINI. Censeo exemplum translatum è Græcia, apud quos medici athletis. Arrianus lib. III. Dissertationum, Athletam compellans: δεῖ σε, inquit, ἐυτακτεῖν, ἀναγκοφαγεῖν, ἀπέχεσθαι πεμμάτων, μὴ ψυχρὸν πίνειν, μὴ οἷον ὅτ' ἔτυχεν ἁπλῶς. ἰατρῷ γὰρ ὡς δεδωκέναι σεαυτὸν, τῷ ἐπιτάττειν. At quæres, cui bono medici mox morituris? Dicam. Primò medicos haud tam artè acceperim, vt hodie; sed inclusserim etiam chirurgos, vsurpatione prisca. Ij autem opus certè gladiatoribus læsis, luxatísue. Deinde & ratio victus gladiatorij ea, vt salui esse sine medico non possent. Largè enim edebant, bibebant: & dabantur velut in saginam. ea fini, vt Domini valentes eos producerent, &, vt Cicero ait, cum gladiatoria totius corporis firmitate. Cyprianus eleganti epistola ad Donatum, libro II. *Paratur gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium luminum sanguis oblectet.*

*Qui instituti exemplo Græcorum.*

*Quo fine ij medici.*

*Medici etiam prochirurgis.*

*Ratio gladiatorij victus.*

*oblectet. Impletur in succum cibis fortioribus corpus, & aruina assidui nidoris moles membrorum robusta pinguescit, vt saginatus in pœnam carius pereat.* Quinctilianus: *Alebat deuotum corpus prauior omni fame sagina.* Inde gladiatoria sagina Tacito: *Singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos, tanquam gladiatoriam saginam diuidebat.* Inde Saginæ nomine, ludum ipsum Propertius intellexit hoc versu,

*Sagina gladiatoria.*

*Qui dabit immundæ vænalia fata saginæ.*

id est, ad gladium se auctorabit, & ad ludum. Plinius videtur adtribuere hordeum iis in cibum: *Antiquissimum*, ait, *in cibis hordeum. sicut Athenienſium ritu, Menandro auctore, apparet: & gladiatorum cognomine, qui Hordearij vocabantur.* Sed mihi anceps adhuc sententia eius loci: dicam & lectio. Cedò enim. ideon' euincas hordeum antiquissimum in cibo Romano, quia gladiatores ab eo dicti? atqui tota gladiatura non veteris Romæ, vt vidimus, inuenti. Sed nec credo eo vsos. malè alibilis is panis, flatus genitor maliqué coloris, vt tui, Victor, medici volunt. ideóque ignominiæ causſa, militibus datus qui deliquissent. Seneca etiam eum inter viliſſima genera habet, *Voluptas est*, inquiens, *posse capere voluptatem vel ex hordeaceo pane.* Quæ omnia contraria gladiatoriæ huic saginæ. Nec tamen Plinij verbis quid faciam habeo sine libris. Sed redeo ad ludos, quos comperior non Romæ solùm fuisse, sed in coloniis municipiisque. Capuæ imprimis & Rauennæ. De Capua Cæsar lib. 1. belli ciuilis: *Capuæ primùm seſe confirmant, gladiatoréſq. quos ibi Cæsar in ludo habebat, in forum productos*

*De Plinij loco addubitatũ.*

*Hordeaceus panis non bonus.*

*Ludi isti etiã in coloniis. Capuæ præsertim.*

Lentulus

*Lentulus* libertati confirmat, atque iis equos attribuit.* Cicero lib. VII. ad Atticum: *Gladiatores Cæsaris qui Capuæ sunt, sanè commodè Pompeius distribuit binos singulis patribusfamiliarum.* Spartianus in Iuliano: *Sed posteà sponte sua gladiatores Capuæ iussit armari per Lollianum Titianum.* De Rauenna, Strabo dilucidè: ἔτως γ' ἂν ὑγιὲς ἔξίσαται τὸ χωρίον, ὥστε ἐνταῦθα τὰς μονομάχους τρέφειν καὶ γυμνάζειν ἀπέδειξαν οἱ ἡγεμόνες. *Adeò*, inquit, *saluber locus, vt illic gladiatores ali atque exerceri Principes voluerint.* Rauennæ autem ludum exstruxit, aut certè voluit, Cæsar. Suetonius cap. XXXI. *Nequa suspicio moueretur, & spectaculo publico per dissimulationem interfuit, & formam qua gladiatorium ludum erat ædificaturus considerauit.* Formam, ait. de qua nihil dixerim, præter multiplices in iis ludis minutásque cellas fuisse, in queîs seorsim haberentur singuli gladiatores. Quinctilianus: *Commorabor inter homicidas, inclusus turpiore custodia & sordido cellarum situ.* Idem: *An ille animus rediret in cellulam, ferret saginam, magistrum, personam denique sceleris?* Exemplo scilicet seruorum, quibus cellæ. Seneca pater: *Ex cella, suæ dominæ migrabit in cubiculum: vel Domina ex cubiculo suo migrabit in cellam?* Seneca filius, de seruo Pompeij Demetrio: *Cui iamdudum diuitiæ esse debuerant, duo vicarij & cella laxior.* Suetonius Nerone, cap. XLVIII. *Receptus in proximam cellam, decubuit super lectum.* Sed & meretricum cellæ (ex Iuuenali & Petronio) & capitum omnium viliorum. Concludam de ludo cum Quinctiliani dicto: *In ludo fui. qua pœna nullam grauiorem scelera nouerunt, cuius ad comparationem ergastulum leue est.*

* *Legerem, libertate. id est, firmat conciliátque sibi data libertate, pilei impositione.*

*Et Rauenna.*

*Cellæ in iis ludis.*

*Cellæ seruiles.*

*Cellæ meretriciæ.*

*Pœna ludi.*

## CAPVT XV.

*Ludorum præfecti, Laniſtæ: qui Familiæ præeſſe dicti, eamque Ducere. Iidem Doctores, magiſtri, commentabantur, Dictata dabant. Tirones apud eos inſtituti: quorum exercitium, Batuere rudibus. Rudem videri gladium è ligno. etiamque Laniſtis fuiſſe, ac tironibus.*

*Laniſta vox.* HIS ludis præfuiſſe Laniſtas monui: de quibus opportunè nunc adtexo. A laniandis corporibus vulgò eam vocem formant: nec perſuadent. Iſidorum potius audio, qui Thuſcum verbum eſſe vult, & illis carnificem ſignare. & audio eò libentior, quia res gladiatoria petita à Thuſcis. Laniſtarum multa vbique mentio. Lapis Romæ:

P. POETILIVS. P. L.
SYRVS
LANISTA. AD. AR. FORIN

Gloſſarius liber, *Laniſta*, λαδοτρόφος, μονομαχοτρόφος, ἐπιςάτης μονομάχων. Laniſtæ auium, etiam apud Co-

*Laniſta pro gladiatoribus.* lumellam, qui aues condocefaciunt ad pugnam. Pro ipſis gladiatoribus Prudentius vſurpat: parum propriè, imò imperitè:

——*ſedet illa verendis*
*Vittarum inſignis faleris, fruitúrque laniſtis?*

Nam de Veſtali ſcribit, quæ ſpectabat gladiatores. Emebant autem laniſtæ futuros gladiatores, aut expoſiticios pueros huic rei tollebant. Quinctilianus Declamat. CCCXXVIII. *Quantum ad te pertinet, non habet reſpublica virum fortem. aut illum feræ lacerauerunt,*

*uerunt, aut aliquis (quod multo sit indignius) sustulit leno aut lanista.* Martialis:

*Inspexit velut emptor aut lanista.*

Tota autem manus quæ sub vno Lanista, Familia appellabatur: & eum dicebant Familiæ præesse. Cicero pro Sulla: *At præfuit familiæ Cornelius. Jam si in parãda familia suspicio est nulla, quod præfuit, nihil ad rem pertinet.* Nam hunc Cornelium scilicet fuisse pro lanista. In lapide prisco MVNVS. FAMILIAE. GLADIATORIAE. Suetonius Augusti cap. XLII. *Cùm venalicios & Lanistarum familias vrbe expulisset.* Seneca de Beneficiis: *Lanista qui familiam suam summa cura exercet atque ornat.* Hinc natum prouerbium Ciceroni familiare, Ducere familiam: quod idem censeo, ac familiæ præesse; sumptumq. ab hac ipsa lanistarum præfectura. Cicero in Antonium: *Lucius quidem frater, vt qui peregrè depugnauit, familiam ducit.* Idem alibi: *Sententia, quæ familiam ducit.* Et: *Accedit, quod familiam ducit, in iure scientia.* Nam qui caput in aliqua re princépsque, bene Ducere eum dixeris & Ducem. Sic in Historiis passim Ducere ordines; in Quinctiliano, Ducere classem. Nec vis verbi huius adhuc satis intellecta: non certè ab iis qui Adagia nobis concinnant. Hi iidem Lanistæ, honestiori & inuidendo verbo Doctores dicti. Valerius lib. II. *Ex ludo C. Valerij Scauri doctoribus gladiatorum accersitis.* Quinctilianus Declamat. CCCII. *In ludo fuit. Fuerunt & doctores, & medici, & ministri: neque tamen illo gladiatorum nomine tenentur.* Et Magistri. Cicero III. de Oratore: *Magister hic Samnitium summa senectute est.*

*Familia gladiatorum.*

*Familiam ducere.*

*Doctores, pro Lanistis.*

*Et Magistri.*

Videlicet quia gladiatores nouitios & tirones docebant. Quin iidem Commentari dicuntur, & dare Dictata: verbis omnibus à meliore ludo sumptis. Cicero de magistro Samnitium, *cottidie commentatur*. Cæsar apud Suetonium, à plerisque Senatorum & equitum precibus enisus est, *vt ipsi disciplinam tironum suscíperent, & exercentibus Dictata darent*. Tertullianus ad Martyres: *Nec tantus ego sum, vt vos alloquar. sed tamen & gladiatores perfectissimos non tantùm magistri & præpositi sui, sed etiam idiotæ & superuacui quiq. adhortantur de longinquo: vt sæpe de ipso populo Dictata suggesta profuerint*. Nec ineptè, Dictata: quia reuera præcepta sua armorum, commisêre etiam scripto. Iuuenalis de futuro gladiatore,

*Commentantur.*

*Dictata dãt.*

*Etiam in scriptis.*

*Scripturus leges & regia verba lanistæ.*

Hirtius gladiatoriam hanc rationem docendi, bene cum militari composuit lib. 1. De bello Africo: *Cæsar*, inquit, *contra eiusmodi hostium genera, non vt imperator exercitum veteranum, sed vt lanista tirones gladiatores condocefacere. quo pede se reciperent ab hoste, & quemadmodum obuersi aduersariis, & in quantulo spatio resisterent*, &c. Ait, tirones gladiatores. quia in ludo genera duo, Tirones siue nouitij, & Veterani. Veterani nobiliores, & vsu longo edocti. Ad Tirones cura & institutio præcipuè pertinebat. Symmachus lib. 11. Epistolar. *Nam gladiaturæ idoneos communis cura prospiciet, quæ pars in apparatu Quæstorio prior est, vt auctoramento lectos longus vsus instituat*. Quinctilianus: *Et inter dedita noxæ mancipia contemptissimus tiro gladiator, vt nouissimè perderem calamitatis meæ innocentiam, discebam*

*Tirones docti in ludis.*

*cottidie*

*cottidie ſcelus.* Ratio modúſque inſtituendi, vt rudibus batuerent cum Laniſta. Suetonius Caligula: *Mirmyllonem è ludo* (malim, *in ludo*) *rudibus ſecum* * *batuentem, & ſponte proſtratum confôdit ferrea ſica.* Siue etiam ad palum exercerentur, militum inſtar. Vegetius lib. I. cap. XI. *Palorum enim* (malo, *palariorum*) *vſus, non ſolùm militibus ſed etiam gladiatoribus plurimum prodeſt.* Sed prius illud de Rudibus, propriè, Batuere dicebant: & gymnaſium ipſum, Batualia. Gloſſæ priſcæ, *Batualia, γυμνασίαι τῶν μονομάχων.* Adamantius Martyr: *Batualia, quæ vulgo Battalia dicuntur, exercitationes gladiatorum vel militum ſignificant.* Nec malè addit litterator ille de militibus. nam & ij interdum rudibus pugnabant, ludendi exercendíue cauſſa. Liuius lib. XXVI. Scipionis curam in milite formando deſcribens: *Tertio die rudibus inter ſe in modum iuſtæ pugnæ concurrerunt.* Ita vetus liber, qui apud Lipſium: non, *ſudibus*, vt præferunt vulgati. Firmat Polybius, qui eâpſe in re ξυλίνας μαχαίρας dixit. Id autem, ni fallor, Rudis: gladius, inquam, è * ligno. Suadeor Dionis etiam loco, in Commodó, qui poſt meridiem exercitia eius cum gladiatoribus denarrans: ἵππει δέ, inquit, καὶ ἐχρῆτο τῇ ὁπλίσει τῇ τοῦ Σεκούτωρος καλουμένου, τὴν μὲν ἀσπίδα ἐν τῇ ἀριστερᾷ, τὸ δὲ ξίφος τὸ ξύλινον ἐν τῇ δεξιᾷ ἔχων. Ait enim clarè ξίφος ξύλινον: ad batuendum ſcilicet, non pugnandum. Itaque Baculos eos appellat Capitolinus in Gallienis: *Pugiles baculis, non veritate pugilantes.* Ita enim ego emendem, cum vulgò ſit, *faculis.* ex quo alij, *ſacculis*, me iudice, haud aptè. Tamen vulgò aliter iudicant, ſcio: & ſatis habent dixiſſe

*Rudibus batuebant.*

* *Idem Suet. in Cal. cap.* LIIII.

*Batualia.*

*Etiam milites batuebãt.*

*Correctus Liuius.*

*Quid Rudis?*

* *Et quidem pro modo cuiuſque armatura. Threci incuruus: Secutori rectus: Retiario dentatus. Fortaſſe tamen etiam è ferro, ſed tamen hebes. Vide lib.* II. *cap.* XXI.

Rudem, baculum fuisse. At ego etiam aliud eos doceo in rude. Duplicem eam fuisse: Lanistarum, & Tironum siue exercentium. Lanistæ sua rudis, qua secerni cognoscique potuit. eam dico è ferula fuisse, & ferulam etiam nominari à priscis. Dio in Commodo: ἀντηγωνίζετο δὲ αὐτῷ γυμναστής τις, ἢ καὶ μονομάχος, ῥάβδην ἔχων. id est: *Pugnabat cum eo Lanista quispiam, vel etiam gladiator, ferulam habens.* Et nónne discriminat apertè? Commodo velut discipulo gladium ligneum tribuit: magistro, ferulam. Seneca ab hoc more ludit in Satyra Menippæa: *Eum proximo munere, inter nouos auctoratos, ferulis vapulare placet.* Nam noui auctorati, nouitij gladiatores: quos rude feruláque sua aberrantes lanista cædebat, velut legitimus magister. Nam & hæc res à litterario ludo. Martialis illud tortuosum & breue, credo, iam capitis, *Vide an te delectet contra retiarium ferula.* id est, rudis, contra tridentem. De hac ferulacea rude Charisius: *Rudis, scipio quem Lanista liberandis gladiatoribus gerit.* Glossæ: *Rudis,* ῥάβδος ἡ τῶν ἐπιστατῶν τῶν μονομάχων. Varro transtulit decorè: *Ad te enim rudem agriculturæ esse nunc, olim ad Stolonem fuisse dicunt.* id est, magisterium & velut præfecturam agriculturæ. At rudis ad gymnasia, diuersa ab hac, & gladij forma, vt dixi; fortasse etiam ponderosior, grauiórque. Suggerit apud Senecam Latro Portius: *Non est vtilis exercitatio, nisi quæ operi simillima est illi quod exerceat. itaq. durior solet esse vero certamine. Gladiatores grauioribus armis discũt, quàm pugnãt: diutius illos magister armatos, quàm aduersarius sustinet.* Idémque in militibus notat Vegetius factitatum:

*Videri eam duplicem.*
*Lanistarum ferulaceam: qualia sceptra pædagogorum.*
*Tirones vapulabant ferulis.*
*Martiali lux.*
*Varroni lux.*
*Arma tironum grauia.*

lib.

lib.I. cap.XII. *Duplicis ponderis illa cratis & claua ideo dabantur, vt cum vera & leuiora tiro arma sumpsisset, velut grauiore pondere liberatus, securior alacriorque pugnaret.* Hæc exercitatio & velut meditatio nouis gladiatoribus ad cædem. quam Cyprianus, vt cum Lucretio loquar, iure increpat incilátque: *Homo*, inquit, *in hominis voluptatem perimitur: & vt quis posßit occidere, peritia est, vsus est, ars est. Scelus nõ tantùm geritur, sed docetur. quid potest inhumanius, quid acerbius dici? Disciplina est, vt perimere quis posßit: & gloria est, quòd peremit.* Detestatio eius disciplinæ.

## CAPVT XVI.

*Mensæ secundæ. interruptus paullum sermo de loco: dictumque per occasionem de Saturnaliciis muneribus: item de Apophoretis, quæ duplicia; & in mensis, & item in ludis spectaculisque.*

DICEBAT etiam Pighius: cùm ego ad puerum, Tolle ocius has mensas, & bellaria nobis infer. Quæ bellaria? inquit Victor, non opus.

——— τράγημα δὲ
Οὐ σωφρονίσης τοῖς φιληδόοις λόγος.

Pighianus hic quidem sermo ante omnia tragemata & mella nobis. Ecce autem dum loquimur, pueri adesse nuntiantur onusti, pomis, pyris, oliuis, palmulis, caricis, aliaque copia partim domestici partim exotici fructus. Missi erant ab Hieronymo Berchemio familiari nostro. Hem! inquam ego. semper ita munis noster Berchemius? Tutores illi dabimus, ne prodigat. At vos pueri grates illi dicite gratias, & rogate

rogate cras vt apud nos sit. Versúsque ad conuiuas, Amici, inquio, numquam vidi munera magis opportuna: non eò solùm quia allata in punctilstitio mensæ postremæ, sed quia hoc Saturni die. Morem enim Romanum scitis, per Saturnalia, munuscula missitandi vltrò citrò. Spartianus in Hadriano: *Saturnalicia & Sigillaricia frequenter amicis inopinantibus misit, & ipse ab his libenter accepit.* Tertullianus de Idololatria: *Nobis, quibus Sabbatha extranea sunt, & Neomeniæ, & feriæ aliquando à deo dilectæ; Saturnalia, & Ianuariæ, & Brumæ, & Matronales frequẽtantur: munera cõmeant, strenæ consonant, lusus, conuiuia constrepunt.* Martialis:

*Saturnalibus munera missitata.*

*Saturnalia diuitem Sabellum*
*Fecerunt, meritò tumet Sabellus.*

Meminit & Suetonius Augusto, cap. LXXV. & plures alij. quid enim moror in re trita? Tu Pighi, dum interiungis, bibe. Licet, inquit; nam sitiebam in hoc sermonum æstu. puer affunde largius. Dum ille bibit, ad me Lernutius, De muneribus mos mihi satis liquidus: non æquè de Apophoretis, quæ ipsa donata Saturnalibus lego. Suetonius Vespas. cap. XIX. *Sicut Saturnalibus dabat viris Apophoreta, ita & Kalendis Martij feminis.* Sodes, illustra. Ne id quidem Lernuti, inquam ego, in alta nocte. Nam Græco eo nomine dicta propriè quæ in conuiuiis dabantur auferenda. Ipse Martialis, qui libellum eo Indice scripsit, interpres,

*Apophoreta item Saturnalibus.*

*Quid, ea?*

*Præmia conuiuæ det sua quisque suo.*

Et Ambrosius: *Qui ad conuiuium magnum inuitantur, Apophoreta secum reportare consueuerunt.* Suetonius in Caligula:

Caligula: *Agitatori Eutycho, * comissatione quadam, in Apophoretis vicies* HS. *contulit.* Nec ignota ista, scio, vobis: illud nouè fortasse moneo, Lampridium corrigendum in hacce voce, vita Eligabali: *Eunuchos pro aphroditis dedit. dedit quadrigas, equos stratos, mulos, basternas & rhedas.* rescribendumque, *pro apophoretis dedit.* Atque hæc, Lernuti, in mensa Apophoreta. Posteà translata ea vox ad munera etiam editionum. Ne enim lineam spectaculi huius transiliamus, scitote fuisse ritum vti Editores munuscula aliqua amicis fautoribúsque mitterent, ludis confectis. ea quoque Apophoreta dicta. Symmachus lib. 11. *Filius noster Symmachus, peracto munere candidato, affert tibi dona Quæstoria, & ceteras necessitudines nostras pari honore participat. Quæso igitur vt eius nomine Dypticha & Apophoreta suscipere dignemini, qui apparatui eius plura & præclara tribuistis.* Et sæpius Apophoretica apud eundem. vt lib. IX. *Non aspernabere, vt æstimo, dyptichi & apophoretici oblationem. neque enim graue est verecundiæ tuæ sollennia & votiua suscipere.* Libro quinto: *Ad te dyptichum candidati, & apophoreticum librarum argenti duarum misimus, approbare cupientes editioni te nostræ non animo defuisse.* Nec omitto denique, Apophoretum vel Apophoretam potius inter genera vasorum censeri Isidoro, cuius verba De vasis escarum: *Apophoreta, à Græcis, à ferendo poma vel tale quid nominata. est enim plana.* Desieram ego: sed excipiens Duza, Bene & benignè doces de Apophoretis, inquit. sed auden' tu ea dare nobis? Quænam illa? inquam. magnum sit quod tibi negem, ô Batâua Syren. Ex medio, inquit,

* Dubito an, commissione. vt per ludos ei hoc munus. Tamen & vulgata recta.

Lampridius correctus.

Apophoreta in ludis, vel Apophoretica.

Apophoreta lanx.

*Cerei in Saturnalibus dati.*

Saturnalium ritu cereos accenſos. ſcin' cui rei? qui nobis domum præluceant. certè enim iam tempus. Heu, inquam, Mormo, non Syren. —— ποῖον σὲ ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων? Vix adſedimus etiam, & faris de diſceſſu? Caue, caue, ne per hoc Saturni feſtum Saturnum te faciam ego, & nouus Iupiter te dem in vincla.

## CAPVT XVII.

*Iterum ad gladiatores reditum: deque locis pugnæ dictum. Ea ſunt, Rogus, Forum, Amphitheatrum, Septa, Circus, Vici & regiones.*

AT tu, Pighi, redis in eandem arenam pugnatum? Ille ridens, Ego, inquit, iam miſſum me putabam. Scin' quomodo? inquam. vt mihi domino citius decretum ſit auctorari, quàm vt te ſoluam.

*Vbi dati gladiatores.*

Pergo igitur, inquit. De loco vbi habiti, dixi: locus ſupereſt pugnæ, qui non vnus. Ad rogum enim dati: in foro: in Circo: in Amphitheatro: in Septis: vicatim & regionatim. Ad rogum olim, in exequiis: iſq. antiquiſſimus locus. Poſteà non placuit circumducere populum, & omiſſo rogo ipſi gladiatores funebres in foro dati. Forum ergo locus vetus pariter & diuturnus. Vitruuius: *Italiæ non eadem ratio fuit. Nam à maioribus conſuetudo tradita eſt, gladiatorum munera in foro dari. Proinde ſpatioſiora diſtribuebant intercolumnia.* Idem alibi: *Muneribus quæ à magiſtratibus foro gladiatorum, ſcæniſque ludorum dantur.* Aſconius in Verrem: *Menius exceperat ſibi ius vnius columnæ, ſuper quam te-*

*In foro olim.*

*ctum*

*Etum proüceret, vnde ipse & posteri eius spectare munus gladiatorium possent: quod etiam tum in foro dabatur.* Ait, *etiam tum*: quia nimirum is mos non prorsus exoluerat etiam Asconij, id est Claudij ætate. Plinij verba cauete vobis imponant, lib. XV. cap. XVIII. *Ara inde sublata gladiatorio munere Diui Julij, quod nouissimè pugnauit in foro.* ancipitis dico & fallacis sententiæ verba. Videntur enim adfirmare postremum id fuisse in foro munus. Falsò. Nam & sub Augusto fuit, ex Propertio

*Plinij ambigua verba enodata.*

*Seu cùm lasciuum sternet arena forum.*

& Tiberius munus gladiatorium duplex dedit, alterum in foro, alterum in Septis, auctore Tranquillo, cap. VII. At Plinius de ipso Cæsare sensit, nouissimum id fuisse forense munus, illo editore. Tamen cœptum vilescere & forum. opinor ideò, quia loca sessui & spectationi parum apta. Itaque magno ambitu locum in foro Consules magistratusq. clientibus tribulibúsue suis adsignabant, & in beneficij loco. Cicero oratione pro Murena satis multis verbis: ad Atticum lib. II. epist. I. *Quærit ex me num consuessem Siculis, locum, gladiatoribus dare? Negaui. At ego, inquit, nouus patronus instituam. sed soror, quæ tantùm habeat consularis loci, vnum mihi solum pedem dat.* Et facit eò decretum Senatus in honorem Ser. Sulpicij: *Senatui placere Ser. Sulpicio statuam pedestrem æneam in rostris statui: circumq. eam statuam locum ludis, gladiatoribúsque, liberos posteróque eius quoquò versus pedes quinq. habere,* apud Ciceronem Phil. IX. Igitur structa * Amphitheatra, destinata propriè huic ludicro & Venationi.

*Forum non aptè exstructum ad spectacula.*

*Difficiles in eo loci: & in beneficio dati.*

* *Adi librum nostrum De Amphitheatro.*

*Amphitheatra. Septa.* Et plerumque exhinc in iis dati gladiatores: tamen non omisso prorsus foro. Etiam in Septis Agrippæ. Suetonius Calig.cap.XVIII. *Munera gladiatoria partim in Amphitheatro Tauri, partim in Septis aliquot edidit.* *Circus.* & idem scriptor notat aliâs. Sed & Circus interdum *Vici & regiones vrbis.* huic rei, vt reperietis in Dione. sæpe Vici & XIIII. regiones vrbis: quod sub Impp. factitatum obseruo. Sed non mihi mens onerare vos copia vulgarium exemplorum. Explicui de loco.

## CAPVT XVIII.

*De Spoliario, quod item pars ludi. Vnde id dictum, & cui rei vsuique. Obiter etiam de obscæna ludi parte.*

HIC Victor, Nimium properas. Quod olim de Haterio Augustus, de te Pighi dixerim, Sufflaminandus es. Nam Spoliario quid fiet, nisi locus ei est in Loco? Caput percussit Pighius, &, Hem! inquit, videte vestrum Cyneam. absque hoc monitore erat, res tam illustris elapsa mihi. Sed retraham. Spo- *Spoliarium, quid.* liarium non ipse ludus, sed ludi, vt apparet, pars. Ex lapide prisco, quem Tybure vidimus: CVRATORI. MVNERIS. PVBLICI. GLADIATORI. III. QVOT. IS. TEMPORE. HONORVM. CVRARVMQVE. SVARVM. PLENISSIMO. MVNIFICENTIAE. STVDIO. VOLVPTATIB. ET. VTILITATIBVS. POPVLI. PLVRIMA. CONTVLERIT. LVDVM. ETIAM. GLADIATORIVM. ET. SPOLIAR. SOLO. EMPTO. SVA. PECVNIA. EXTRVCTVM. PVBLICE. OPTV-

OPTVLERIT. Etiam Tertullianus ab ipsis Amphitheatris separat: *Ceterùm à sæculo coronantur & lupanaria, & latrinæ, & pistrina, & carcer, & ludus, & ipsa Amphitheatra, & ipsa Spoliaria, ipsæque Libitinæ.* Ductum nomen à re balnearia. Nam *exteriores cellulæ in balneis, Spoliaria*, dictæ, vt notant Glossæ Latinæ veteres: vel, vt Græcæ, Ἀποδυτήριον, *Spoliarium*. Vbi ergo in balneis exuebantur, seq. veste exspoliabant, Spoliaria dicta. & à caussa simili, in Ludis. Nam ibi, credo, gladiatorum vestes, ornamenta. Plinius in Panegyrico, de Ærario differens: *Nunc templum, nunc verè deus, non spoliarium ciuium cruentarumq. prædarum sæuum receptaculum.* Imò amplius, locus ille receptor vulneratorum cæsorumque. Cassius Seuerus in Controuersia, Debilitans expositos. *Produc agedum familiam semiuiuam, tremulam, debilem, cæcam, mancam, famelicam: ostende nobis captiuos tuos. Volo mehercules nosse illum specum tuum, illam humanarum calamitatum officinam, illud infantium spoliarium.* Seneca de Prouidentia: *Videant largum in foro sanguinem, & supra Seruilianum lacum (id enim proscriptionis Sullanæ spoliarium est) Senatorum capita.* Itaque crebræ illæ acclamationes Senatus, mortuo Commodo, sunt ab hoc ritu, apud Lampridium, *Gladiatorẽ in spoliario.* &, *Gladiatoris cadauer vnco trahatur: gladiatoris cadauer in spoliario ponatur.* Quin & ij qui sine spe curationis læsi, illic interficiebantur. Seneca epist. XCIIII. *Nunquid aliquem esse tam cupidum vitæ putas, vt iugulari in Spoliario, quàm in Arena malit?* Obscænam partem ludi in eodem Seneca lego libro VII. Quæst. Nat.

*A balneis ducta vox.*

*Cui rei spoliaria.*

*De Seneca loco.*

extremo: nec scio an ad Spoliarium; an ad ludi locum fœdum, vbi * Spongia, referam: an potius emendem, *artem ludi*, & capiam de iis qui sponte sese auctorant.

*De qua Mar. Quod sciat infelix damnatę spongia virgæ. & Seneca epistola LXXI.

## CAPVT XIX.

*Finis conuiuij sermonisque. per occasionem de Diludiis. item de ratione inuitandi ad hilaritatem inusitata hodie. Ammianus expletus à coniectura. De Mutitatione, Agellius correctus, & Nonius.*

DIXI. & sit iam sermonum pausa quæso. Nam & ferum est, vt video: & in me quidem omnis vis loquendi iam vacuit. Itaque domuitionem paremus. Inclementi vultu ego, Tu Pighi cessas? nec per limites illos eas, quos ipse tibi posuisti? Non ego homo trioboli sum, si id feram. Cras licebit, inquit. nunc te, Lipsi, per hanc dexteram oro, mitte. Non, si per hanc sororem læuam quoque, inquam. Et iámne mitto ad Prætorem, vt te nectam? Neca etiam, inquit, si voles. Nam mihi decretum in hoc Spoliario mori potius, quàm amplius in hanc Arenam. Lernutius cum Victore interueniens: Hercules multa nox est, Lipsi, inquiunt: & tempus abeundi. Ego commotior, Etiam me latrant meæ canes? Sed surgebat iam & Duza. Itaque ego, Hæc quidem conspiratio est, inquam. at sedete saltem dum patera ista circumfertur. Nam Pighio nostro non alia lege diludia do. Sedit iterum & respexit me Duza, Diludia tu quid appellas? Appositè ad hanc rem, inquam.

*Diludia, quid.*

inquam. Nam, *tempora quæ gladiatoribus conceduntur inter dies munerum quibus pugnatur Diludia dicuntur*, vti scribit ad illud Horatij,

*Displicet iste locus, clamo, & diludia posco.*

vetus scholiastes. Hîc Victor, Verè fortasse Commentator, inquit. tamen mihi olim-sententia mea non displicet, Diludia esse cùm medij ludi alio genere spectaculi interrumpuntur & quasi diffinduntur. Ita enim mos, vt in media sæpe comœdia aut tragœdia, Venationem aut paria aliquot gladiatorum poscerent, tædij leuandi. Horatius testis:

*Si discordet eques, media inter carmina poscunt*
*Aut vrsum aut pugiles.*

Et Dio: qui Circenses diffissos ait Venatione & Athletis interpositis, lib. LX. ἄρκτοι μὲν, inquit, μεταξὺ τῆ δρόμε τῶν ἵππων ἐσφάγησαν, καὶ αθληταὶ ἠγωνίσαντο, καὶ παῖδες Ἀσιανοὶ πυρρίχην ὀρχήσαντο. Approbo, ait Duza. Et similis calamitas Terentianæ Hecyræ interuênit, interposito funambulo. Eius enim sententiæ querela illa Prologi,

*Ita populus studio stupidus in funambulo*
*Animum occuparat.*

Etiam gladiatoribus: vt statim,

*Primo actu, placeo: cum interea rumor venit*
*Datum iri gladiatores. populus conuolat.*
*Tumultuantur, clamant, pugnant de loco.*

Cùm dixisset, patera accepta ego Victorem intuitus, Hanc ita spumantem, inquam, Latio & Latiæ. Eduxi, & Victori tradens, Viuamus, inquam; moriendum est. Ille abominatus tam tristẽ vocem, Quæso, inquit,

inquit, vitemus hanc δυσφημίαν in mensa: & despue, ne omen habeat tua vox. Ego risi, &, Homo religiosissime, inquam, ita nescis morem antiquum? Numquam illi hilarius se inuitabant, quin lacesserent lætitiam hoc sermone. Atque adeò ipsa verba, vt protuli, apud Vibium Gallum in Controuersia Senecæ VII. lib. IX. *Conuiuæ certè tui dicunt, Viuamus, moriendum est.* Ita lego, non, *Bibamus*, cum vulgo. Ritum non vulgatum obseruo in hac ipsa admonitione apud Ammianum, lib. XVI. Nam pueri ministri cùm lumina mensæ inferrent, soliti similia dicere. Ita enim suppleam legamq. defecta hæc verba: *Malignitate simili quidam Agens in rebus in Hispania, ad cænam itidem inuitatus, cùm inferentes vespertina lumina pueros exclamasse audisset ex vsu, Vincamus* perun ..... lem ne ..... interpretatum, atrociter deleuit nobilem domum.* Lego, *Viuamus, pereundum est.* addiditq. Ammianus calumniatorem aliquem sic interpretatum esse, solemne verbum, tanquam machinaretur Dominus ille aliquid magnum, & cum exitij sui metu coniunctum. aut, tanquam id detorsisset in sæuitiam Imperatoris, sub quo omnibus pereundum esset. Hoc ecphonema etiam in veteri inscriptione sepulchrali,

*Inuitandi mira, sed prisca ratio.*

*Seneca leuiter correctus.*

* *At qui dicit restituisse Ammianū, hæc omnia infidè omittunt. Ammianus non malè expletus.*

AMICI.
DVM. VIVIMVS.
VIVAMVS.

Et sententia non semel obuia in poëtis. Quid autem dices, si ipsum cranium mortui inferre in mensam soliti, huic rei? Epigramma Græcum disertè:

*Cranium in mensa.*

Hᶜ πτω-

Η' πτωχῶν χαρίεσσα πανοπλίη, ἀρτολάγηνος
Αὕτη, καὶ δ' ἐρσερῶν ἐκ πετάλων στέφανος,
Καὶ τῆτο φθιμένοιο προάστιον ἱερὸν ὀστεῦν,
Εγκεφάλε ψυχῆς φρέλιον ἀκρότατον.
Πῖνε, λέγει τὸ γλύμμα, καὶ ἔδιε, καὶ περίκεισο
Ἄνθεα. Τοῖτοι γινόμεθ' ἐξαπίνης.

Sed & in Trimalcionis conuiuio apud Petronium: *Potantibus & accuratissimè lautitias nobis mirantibus, laruam argenteam adtulit nobis seruus, sic aptam, vt articuli eius vertebræq. locatæ in omnem partem flecterentur. Hanc cùm super mensam semel iterumq. abiecisset, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalcio adiecit,*

*Heu heu nos miseros· quàm totus humuncio nil est.*

* * *

*Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.*
*Ergo viuamus, dum licet esse bene.*

Quod ab Ægyptio quidem ritu videtur qui σκελετόν ipsum mortui inferre conuiuio soliti, cum monitione, Ita breui omnes futuros. Plutarchus auctor in Conuiuio. Hîc Lernutius: Morem asperum, inquit, & nõ longè à Scythis; quibus etiam potus in cranio mortuorum. Quin & hodie, vt audio, apud quosdam noui orbis Indos. Tamen inuitatio illa in specie barbara: re, optima. Quid enim homulli sumus? aut quamdiu hæc vita? Ite mortales, & magnis cogitationibus animum implete: cras morituri. Et in calore illo simul effudit hos Anapæstos: *Vanæ spes vitæ.*

*Miserum, miserum, mortale genus,*
*Cui vix orto fatum aboriri est:*
*Heu quàm fallaci iactaris*

*Turbine vitæ!*
*Ille superbi limina regis*
*Ambit, & alter populi fasces:*
*Alter nullo fine parandi*
*Aurum congerit, & congesto*
*Pauper in auro est.*
*Ah nescitis viuere, nec mori.*
*Moneo, moneo, ponite curas:*
*Cursu præcipiti ruit ætas.*
*Ludite, viuite, dum breuia sinunt*
*Pensa sororum.*

Cum fine versuum omnes surgebant. Duzam ego lacinia tenui, Atque audin'? inquam, iam opus viuere. Imò Bitere, ait, vt Comici nostri loquebantur. Tempus nos admonet; certè somnus. Non etiam mittis? Polypus mihi vidêre: ita quidquid tetigeris, tenes. Mittam in hanc legem, inquam, vti cras iterum apud me sitis. Imò apud me, ait Lernutius. Sit enim hæc per dies hos festos quædam, vt antiqui dicebant, Mutitatio. Mirantibus nouitatem verbi, Ita dico, inquit, Mutitatio. Agellius: *Legitur in Atteij Capitonis Coniectaneis Senatus decretum vetus, in quo iubentur principes ciuitatis, qui ludis Megalensibus mutitarent, id est mutua inter se coniuuia agitarent, iurare apud Cos.* &c. Vbi lego fide codicum, *mutua inter se dominia agitarent.* Dominus antiquis, Præbitor: & Dominia, præbitiones hilariores. Lucillus: *Primum dominia atque sodalitia omnia tolluntur.* Cicero Frumentaria in Verrem: *Huius argento dominia vestra, huius signis forum comitiumque ornari.* Mutilus hic Tullij locus

*Mutitatio prisorum.*

*Agellius correctus.*

locus apud Nonium in Dominus: *Cicero Frumentaria: Adria argento dominos vestræ:* facilis ex Cicerone correctu. Ad hæc alternantia conuiuia Virgilius respexit, Et Nonius.

*Mutuaque inter se læti conuiuia curant.*

Etiam Pindarus Ode. I. de Tantalo, qui, ἀμοιβαῖα θεοῖς δεῖπνα παρέχει. Occupauit respõdere Duza, Ergo apud te Lernuti in prandio cras erimus. Nam hic Lipsius petit tanquam Cæsaris candidatus. Etiam irrides? inquam. At enim Berchemium vocaui. Igitur & is apud nos erit, ait Lernutius. Tu abi, & cùm nos bene curasti, valetudinem tuam cura. Et cum dicto facta discessio, vel vt ego appellabam, fuga.

I. LIPSI

# SATVRNALIVM SERMONVM

## LIBER II.

### CAP. I.

*Quid ante diei secundi conuiuium. cum Victore dissertatio super Taciti loco, de inuentione argenti apud Germanos. crebra manuum lautio antiquis.*

SECVNDVS dies erat, quo Lernutio constitueramus: venitq. ad me ante conuiuij horam Victor. Iámne vales? inquit. Ab animo Victor, inquam: à corpore (vt Augustus loquebatur) betizo. Quid ergo mirum, inquit, à morbo tam propinquo? Sed animum quod purgas; crede mihi, ab illo fonte hic languor. Studia animum, animus corpus fatigauit. Nec vultu aspernêre. Est enim & animorum lassitudo quædam, non minor quàm corporum, sed occultior: quæ fugienda nobis, & scintilla illa diuini ignis non obruenda est. Sed cui rei in mensa libri? quos peius odisse te volo, quàm fullo vlulam. Ne erres Victor, inquam: libris nihil nunc facio pericli. Tacitum alucinans modò in manus sumpseram, atque aliud agens. Ecce autem versabar & vexabar in loco isto De Germanorum moribus. *Aurum & argentum propitij an irati dij negauerint,*

*rint, dubito. Nec tamen affirmauerim, nullam Germaniæ venam argentum aurúmue gignere. quis enim ſcrutatus eſt? poſſeſſione & vſu haut perinde adficiuntur.* Negat ecce clarè inuentam in Germania argenti venam, quæſitámue. At contrà Annali x I. *Nec multo pòſt Curtius Ruffus eundem honorem adipiſcitur, qui in agro Mattiaco recluſerat ſpecus quærendis venis argenti.* Quæ inuentio argenti, quinquaginta, ante hunc libellum Taciti ſcriptum, annis. Non concilio prorſus. Libri veteres, *in agro Machiaco.* Igitur lego, *Maciaco*, vel, *Mazyaco.* Non enim apud Germaniæ Mattiacos hæc Curtij foſſio, vt arbitrantur: ſed apud Macas vel Mazyas Africæ populos. cui ipſi prouinciæ hic Curtius præfectus. Plinius certè in Germania venam argenti nullam, ambiguè æris commemorat: & multis ſæculis pòſt, inuentionem hanc adſignant medij temporis ſcriptores. Ditmarus libro I I. Chronicorum: *Temporibus Othonis aureum illuxit ſæculum, apud nos inuenta primùm vena argenti.* Windichindus monachus (vixit ante annos D C.) lib. I I I. *Ergo qualiter Otho Romanos duobus prœliis vicerit, terra Saxonia venas argenti aperuerit, imperiumq. cum filio quàm magnificè dilatauerit, noſtræ tenuitatis non eſt dicere.* Hæc taliáque, Victor, hiſtorica & oblectantia muginabar. Ne iſta quidem fas, inquit. ſed eamus, Sol iam duodecimam lineam tangit. In via eramus; ecce obuius nobis Duza. Bona ſcæua eſt, inquam. capio ex nomine tuo omen hodiernæ voluptatis. Sed quod herè oblitus, Hautenus noſter quî valet? ille flos poëtarum. Nam certè hoc elogium illi debemus, Vnum eſſe inter

*Taciti non certa hiſtoria locus.*

*De argento apud Germanos reperto.*

*Tacitus forsè emendatus.*

Belgas qui noſtra lingua viam viderit ad carmen. Ille quidem rectè, inquit: & te amat. Sed carminum eius famam ſcis quàm premant iudicia vulgi. Nempe vulgi, inquam. ſed dic illi à me, ſodes: peruincet hanc nouitatis inuidiam: & vt arbores quædam, ſic fama eius æterniot erit, quò tardius creſcet. Pulchrum eſt cum Manilio gloriari, —— *nec in turbam, nec turbæ carmina ſcribo.* In his ſermonibus peruentum ad Lernutij ædes. Triſtior nobis viſus. Itaque Duza ad illum,

*Quis iſtic voltus, quæ caligans triſtitas?*

Parúmne in tempore, aut parum grati aduenimus? Ille ſingulos amplexus, Vos quidem opportuni & gratiſſimi, inquit. Pighius dedit me in hunc tumorem, qui puerum iam nunc miſit, & renuntiari iuſſit, Negotium ſibi natum eſſe. Id tu triſtis? inquam ego. Ne veniat. an de illius veſpere victuri ſumus? & ſuccidaneum ecce tibi hunc Berchemium do, qui in porta. Simul intrauit Berchemius, & ad eum Lernutius, Tu certè fidem amas, & te fides. Naſiternam huc puer: lauate. Non ego, ait Victor: iam antè laui. Hem! ait Lernutius, adeò remotus à more priſco? qui non ante menſam modò, ſed in conuiuio meliore per ſingula fercula & miſſus lauabant. Ita apud Athenæum lib. III I. cap. I. in Carani Macedonis conuiuio iam medio leges: καὶ ὡς ἄλλω εἴχομεν βρώσεως, ἐχρνιψάμεθα: *& cùm ſatis cibi ſumpſiſſemus, manus lauimus.* Iterumque poſt aliud ferculum: καὶ νιψάμενοι τὰς χεῖρας ἐστεφανώμεθα. Apud Lampridium in Eligabalo: *Exhibuit aliquando & tale conuiuium, vt haberet viginti*

*In vno conuiuio Romani ſæpius lauabant.*

*viginti duo fercula ingentium epularum, & per singula fercula lauarent.* Idem in eodem Principe: *Parasitis in secunda mensa sæpe ceream cænam, sæpe ligneam, sæpe eburneam exhibuit: cùm tantum biberent per singula fercula, & manus quasi comedissent, lauarent.* Hoc quidem molestum more Romano, inquit Victor. Quomodo enim in lecto? & surgebántne? Minimè, inquit. sed auertebant à mensa. Sidonius bene adsignificat, lib. 1. cùm apud Cæsarem epularetur: *Retrorsusque conuersus, tanquam manibus aquam postularem, tantumque remoratus quantum stibadij circulum celerantia ministeria percurrunt, cubitum thoro reddidi.* Fateor Lernuti, inquit, hoc me hodie doces. *Cuiusmodi ea lotio.*

## CAPVT II.

*In ipso conuiuio, de Carptorum munere & vario nomine. Item de Structoribus. Translatus cœptus sermo à Pighio ad Duzam.*

IAM adsederamus; & illatæ sunt epulæ sanè lautæ, & quæ (vt Plauti iocus) cinerem non quærerent. Inter alia Capus, qui magnitudine sua omnium oculos in se conuertit. Tamen ad nos Lernutius: Mi hospites, inquit, pauca præstinaui. Nam per hos dies, vt scitis, promiscuæ cænæ non solùm cande, sed vacuefaciunt annonam macelli. Itaque hic Capus prandij nostri fundus & fundamentum est. Tu Duza, diuide hunc spadonem, quod sine fraude legis Scantiniæ sit. Carptor hîc ego? inquit Duza. tibi hoc ius erat in domo tua. Mirantibus, vt videbatur, nobis

*Carptores, qui?* nobis insolentiam vocis. Duza, Carptores, inquit, antiquis dicti, qui cibum scindentes carpentésque præministrarent. Iuuenalis:

——*carptores, archimagiri.*

*Stabilita Iuuenalis lectio.* Vbi tamen, *fartores*, &, *captores* substituunt non boni arbitri veterum conuiuiorum. Proprium enim huic muneri Carpendi verbum. Apud Petronium Trimalcio, quasi per delicias, identidem imperat, Carpe: & explicat conuiua veteranus, *Vides illum qui obsonium carpit? Carpus vocatur. itaque quotiescumque dicit, Carpe, eodem verbo & vocat & imperat.* Quod proinde est, quasi tu Lernuti hunc puerum pocillatorem voces Fundum. Sciſſores iidem dicti. Petronius: *Processit statim sciſſor; & ad symphoniam ita gesticulatus lacerauit obsonium, vt putares Darium hydraule cantante pugnare.* Qui locus satis indicat, cur eosdem Cheironomontas Iuuenalis dixerit ——*& cheironomonta volanti cultello* — itémque Sidonius lib. IIII. *Inter Apicios epulones, & Byzantinos chironomontas.*

*Sciſſores.*

*Cheironomontes.*

*Diribitores.* Nescio an eosipsos, Diribitores dixerit Apuleius lib. II. *Diribitores plusculi splendidè amicti, fercula copiosa scitulè submiſtrata.* an potius, qui fercula puerorū manibus allata commodè disponerent, & collocarent (vt ille iocatur) velut sub signis. Vtraq. certè notio in verbo veteri Diribendi. Hos tamen postremos, verbo magis trito Structores nominabant. Iuuenalis:

*Structorem intereà, nequa indignatio desit,*
*Saltantem spectas.*

*Structores.*

Petronius: *Proprium conuenientémque materiæ structor imposuerat cibum.* Athenæus lib. IIII. Ἰόβας ὁ βασιλεὺς

τὸν

τὸν αὐτὸν εἶναι φησὶ τραπεζοκόμον, καὶ τὸν ὑπὸ Ρωμαίων καλούμενον στρέκτορα. id est: *Iuba rex eundem censet Græcorum* τραπεζοκόμον (quasi dicas mensæ Curatorem) *cum eo quem Romani Structorem dicunt.* In hoc verbo Senecam velim emendari libro De vita beata, cap. XVII. *Quare ars est apud te, ministrare? nec temerè & vt libet collocatur argentum, sed peritè seruatur, & est aliquis scindendi obsonij magister?* rescribique, *peritè struitur.* Tertullianus libello De cultu: *Structores capillaturæ*, paullo aliter dixit. Desierat Duza, excepit Lernutius, De verbo optimè, ô magister: rem vide. Et simul admouit lancem. Duza capum etiam atque etiam adspiciens, Heu gallum decumanum! inquit. & mirum ni istum submiserint Brugæ tuæ. Ita est, inquit: sed tu Carpe carpe. Quàm pinguis autem! ait inter carpendum Duza. viden', Lipsi, quis fructus cælibis vitæ? Fateor, inquam: & cælibem quasi cælitem agnosco: nec in alio etymo Grammaticis credo magis. Sed vt epulæ tam lautæ condimentum aliquod habeant; placétne Lernuti in Arenam redeamus, spectàtum Gladiatores? Placet maximè, inquit. Hæret enim adhuc animo meo hesternus Pighij sermo: cum delectabili recordatione veterum morum. Atque vt ij qui symphoniam audierunt, ferunt secum in auribus modulationem illam & dulcedinem cantus: sic ego in animo narrationem Pighianam. Sed quis absente illo nunc Editor? Quis, nisi tu dominus? inquam. Ita enim ius, mos, vt qui mensam, præbeat & ludos. Ain' tu? inquit. At per meam editionem, ætatem estote sine ludis. Et pugnem ipse potius, quàm

*Seneca emendatus.*

vt edam. Cur non autem noſter Duza? ὅσπερ μὲ πολλὸν ἀμείνων. Conuerſi taciti omnes ad Duzam ſumus, quaſi rogantes. At ille, Amici, inquit, vnde mihi ea vis? ab ingenio tantum, an à memoria poſſim? Denique cœpit herè Pighius, & vniuerſum hoc argumentum diſpoſuit & intra ſeſe formauit. Eam partitionem ordinémque qua diuinatione adſequar? Illud modò fiet, vt ego ipſe qui ludos paro, vobis ſim ludus. Imò omnes nos in partem iuuabimus, ait Berchemius: ſpondeo. Et ego reſpondeo, inquam: aude modò. Æſtuo, ait Duza;

——*velut minuta magno*
*Deprenſa nauis in mari, veſaniente vento.*

Hinc preces veſtræ ſunt: illinc molimentum rei & difficultas. Tamẽ quoniam iubetis (nam mihi amicorũ preces, iuſſa) aggrediar, &, quod in hac re appoſitè dicitur, * Gladiator in arena conſilium capiam.

**Proverbium apud Senecam epiſtola XXII.*

## CAPVT III.

*Propoſitio dicendorum. primóq. de conditione gladiatorum, quoſdam ſeruos eſſe aut quaſi ſeruos: quoſdam initio liberos, imò nobiles. Equites Senatoréſq. paſſim arena ſe polluiſſe. quod aliis Principib. permiſſum, aliis vetitum.*

COMPOSVIT ſe Duza ad dicendum: nos ad audiendum. Et meditatione aliqua interpoſita, ſic infit: Quattuor, vt meminiſſe potui, limitibus terminatus à Pighio hic ſermo: Origine, Loco, Hominibus, Modo. Priores duo bene & legitimè ab eo deſtituti ſunt: tertium nunc collocabo, & de Hominibus

*Quæ dicenda Duzæ.*

nibus duo dicam, Quæ conditio gladiatorum fuerit: & Quæ eorum genera, quódque discrimen. Ad conditionem quod attinet: è seruis plerumque comperior fuisse, aut captiuis. Serui aut vendebantur in ludum, aut damnabantur. De venditione Tertullianus: *Olim captiuos, vel malo ingenio seruos emercati.* Et Suetonius Vitellio: *Asiaticum ob nimiam contumaciam & ferocitatem grauatus, circumforaneo lanistæ vendidit, dilatumque ad finem muneris repentè surripuit.* Adeóque id increbuit, & ob leuem sæpe causam: vt Hadrianus Imp. *Lenoni & lanistæ seruum vel ancillam vendi vetuerit, cauſſa non præstita,* ait Spartianus. De damnatione, passim historiæ & legum libri, vbi damnati ad * gladium, leguntur, vel ad gladij ludum. Sic enim etiam loquebantur. Capitolinus in Macrino: *Seruos qui à dominis fugissent repertos, ad gladij ludum deputabat.* Eos conquiri moris etiam in prouinciis fuit; ex Tacito, qui lib. III. Annal. in Gallia nominat, *E seruitiis gladiaturæ destinatos.* De Captiuis etiam, non ignotum. Aut enim venditi illiipsi lanistis, aut ab Impp. postquam in triumpho ducti, dati in ludum. In vita Probi: *Edita gladiatorum paria trecenta, Blemiis plerisque pugnantibus, qui per triumphum erant ducti, plerisque Germanis & Sarmatis.* Vopiscus de triumpho Aureliani: *Per ordinem ducta gladiatorum paria octingenta, præter captiuos gentiũ barbararum.* Sæpe & sine triumpho. In vita Claudij: *Claudius omnes qui rebelles animos extulerant, capit, atque in vincla Romam etiam mittit ludo publico deputatos.* Ad captiuos pertinere Tertulliani querelam puto: *Certè quidem*

*E quo genere hominum gladiatores.*

*E seruis.*

*E damnatis.*

* *Discrimen tamẽ aliquod Vlpianus facit inter Dãnari ad ludũ & ad gladiũ. Cuius verba infrà cap. XXI.*

*E captiuis.*

*& innocentes gladiatores in ludum veniunt, vt voluptatis publica hostiæ fiant.* Serui ergo captiuique primò ad hoc munus. Sed paullatim etiam liberi & ingenui, nulla quidem aliunde vi, sed pretio inducti vel mala libidine pugnandi. Vtrumque genus coniunxit Liuius lib. XXVIII *Gladiatorium spectaculum fuit, non ex eo genere hominum ex quo lanistis comparare mos est, seruorum delectu ac* * *liberorum qui venalem sanguinem habent: gratuita omnis pugnantium opera fuit.* At de liberis, Labienus apud Senecam patrem lib. x. Controuers. *Curatis quis ex solitudine infantes auferat, perituros nisi auferantur: non curatis quòd iuuenum miserorum simplicitatem circumueniunt, & specioſissimum quemque maximè idoneum castris, in ludum conuiciunt.* Tertullianus ad Martyres: *Quot otioſos adfectatio armorum ad gladium locat? certè ad feras ipſas adfectatione deſcendunt, & de morſibus & cicatricibus formoſiores ſibi videntur.* Lactantius lib. v. cap. IX. *Et quod eſt ſceleratius, vt ſint religionis antiſtites, qui nec vitæ quidem ſuæ parcant, ſed exſtinguendas publicè animas vendant.* Manilius lib. IIII.

*Nunc caput in mortem vendunt, & funus arenæ:*
*Atque hoſtem ſibi quiſque parat, cùm bella quieſcunt.*

Et verò paullatim, non deſidentibus ſed corruentibus moribus, eò ventum, vt primæ nobilitatis viri operas arenæ locarent: quidam deſperatione & bonis exuti, alij principibus gratificantes. Seneca epiſtola centeſima: *Aſpice illos iuuenes, quos ex nobiliſſimis domibus in arenam luxuria coniecit.* Idem epiſt. LXXXVIII. eleganter: *O quàm vellem Catoni nunc occurrere aliquem ex his troſſulis in via diuitibus, curſores & Numidas, & multum*

*Etiam è liberis.*
*Qui pretio ſe vendebant.*
**Malè vulgò libertorum.*
*Sæpe & nobiles, re comeſa.*

*multum ante se pulueris agentem. Hic sine dubio cultior comitatiorque quàm M. Cato videretur: hic, qui inter illos apparatus delicatus cùm maximè dubitat, vtrum se ad gladium locet an ad cultrum.* Ludit suauiter in homines inopes sui æris, diuites alieni: qui re cum spe consumpta, ad extremum deliberant Gladiatores fiant an Venatores. Id enim valet, Ad cultrum. Putaui aliquando, *ad pulpitum*, blandiente coniectura, sed vana. Nam culter propriè venatorum. Suetonius Augusto: *Lixa quidam cultro venatorio cinctus.* Martialis ad lemma *Culter Venatorius:*

*Seneca explicatus.*

*Culter venatorum.*

*Si defecta gemes grandi venabula rostro,*
*Hic breuis in grandem cominus ibit aprum.*

Iuuenalis de nobilibus sui æui:

*—— quanti sua funera vendant*
*Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone.*
*Nec dubitant celsi prætoris vendere ludis.*

Quin vulgò iam sub Principibus equites polluti arena & Senatores. Origo prima rei à C. Cæsare, opinor: *cuius munere in foro, depugnauit Furius Leptinus stirpe prætoria, & A. Calenus Senator quondam actorque caussarum*, ait Suetonius in Iulio cap. XXXIX. Dio hoc amplius, permisisse eum equitibus Romanis vti pugnarent, lib. XLIII. Eoque temeritas hæc, siue insania fuit, euasit, vt lege cauere Augustus debuerit μήτε βελδυτὴν μονομαχεῖν, μήτε δ' ἄλως ῥαδδεχεῖν, *nec Senatorem gladiatorem fieri, nec seruum lictorem.* Equitibus tamen palàm id permisit, non sine admiratione mea & Dionis lib. LVI. τῆς ἱππάδος (ὃ καὶ θαυμάσειεν ἄν τις) μονομαχεῖν ἐπετράπη. *Neque enim*, vt Calpurnius ait,

*Equites & Senatores ad gladium.*

*Permisit Iulius Cæsar.*

*Vetuit Augustus in Senatore, permisit in Equite.*

*Postea interdictum, sub eodem.*

*conditione gladiatoria quidquam est humilius in vulgo.* Sed denuò id vetitum Senatusconsulto. Suetonius Augusti cap. XLIIII. *Ad scenicas & gladiatorias operas etiam equitibus Romanis aliquando est vsus: verùm priusquam Sc. interdiceretur.* Et fraudem quæ huic legi fiebat repressit Tiberius, apud eundem Sueton. cap. XXXV. *Ex iuuentute vtriusque ordinis* (Senatorium cape & Equestrem) *profligatissimus quisque, quò minus in opera scenæ arenæque edenda Senatusconsulto tenerentur, famosi iudicij notam sponte subibant. Eos omnes, ne quod refugium in tali fraude cuiquam esset, exsilio affecit.* Sed non ad Tiberij seueritatem Principes secuti: qui solutè adeò permiserunt, vt Caligula vna commissione vigintisex equites dederit: Nero *exhibuerit ad ferrum quadringentos Senatores, sexcentósq. equites Romanos, & quosdam fortunæ atque existimationis integræ ex iisdem ordinibus, confectorésq. ferarum & varia arenæ ministeria.* Interpellauit hîc Berchemius, Ais quadringentos Senatores? sexcentos equites? Extra fidem ea adseueratio est, mi Duza. At fidus huic rei scriptor Tranquillus, inquit Duza, cap. XII. Fateor, ait Berchemius: nescio an fidus exscriptor. Numeri nimium faciles corruptu. & vereor vt Suetonius scripserit, *quadrageños Senatores.* Vniuersus ordo patrum lege Augusti intra sexcentos: & tam matula ego, vt credam pugnasse ex iis infamem hanc pugnam quadringentos? Sed & equites in parte libero eius culpæ, scribóque, *sexagenos.* numero satis etiam liberali, quoniam Dio sub eodem Nerone pugnasse dumtaxat scribit, vnis ludis, triginta. ἱππεῖς, inquit, ἐπὶ τῆς τέλους τριάκοντα ἐμονομάχησαν.

*Permisere iterum alij Principes.*

*Prater fidem in Tranquillo numerus.*

*Is mutatus.*

νομάχησαν. Ego ad Berchemium, Faueo correctioni tuæ, inquam. nec magis è Suetonio maculam illam eluis, quàm è nomine Romano. Sed & reliqua Trãquilli sic potius legerim: *Fortunæ atque existimationis integræ. Ex iisdem ordinibus confectores quoque ferarum.* sulta expletáq. sententia, quæ pendens aliter & hiulca. Duza iterum· Iam viri estis, inquit; laudo. Anteà silentium vestrum perpes, & non ex sponso. Nunc cùm iuuatis, pascor opere. Igitur pergo. Vitellius quamquam ipse infamis, infamiam hanc genere quodam sustulit, *cauitque seuerè ne equites Romani ludo aut arena polluerentur. Priores id Principes pecunia & sæpius vi perpulerant: ac pleraque municipia & coloniæ æmulabantur corruptissimum quemque adolescentium pretio illicere*, ait Tacitus lib. 11. Historiarum.

*Iterum correctus idem.*

## CAPVT IIII.

*Feminas imò ipsas descendisse in hunc ludum: in publico depugnasse. donec id vetitum à Seuero.*

MIRABAMVR omnes proteruiam illam Romanæ iuuentutis, quæ tam prodiga sanguinis sui pariter & honoris. Sed Duza insurgens, & gestu ipso nouum aliquid dicturus, Viros habetis, inquit; vultis etiam Amazonas? Ænigmata loqueris, ait Victor: vnde eæ Romæ? Dico feminas Romanas, inquit Duza. Victor caput mouens, Lamiæ turres dicis, inquit, & pectines Solis. Duza, Ego seriò loquor, inquit: & iam producam. Hîc ego, Apage Duza, inquam. ain' tu feminas pugnasse Romæ? Pugnasse, ait. Fortasse

*Femina etiã ad gladium.* Fortaſſe pygiacam pugnam, inquam ridens. Imò illam gladiatoriam veram, inquit. Vel Tacitum tuum audi, lib. XV. *Feminarum Senatorumque illuſtrium plures per arenam fœdati ſunt.* cum quo in eadem narratione conſentit Dio, in rebus Neronis. Suetonius Domitiano: *Venationes gladiatoréſque & noctibus ad lychnuchos dedit: nec virorum modò pugnas, ſed & feminarum.* Deque hiſdem Domitiani ludis Statius in Siluis:

* *Malè vulgò*, luxus.

*Hos inter fremitus nouóſque * luſus,*
*Stat ſexus rudis inſciúſque ferri:*
*Et pugnas capit improbus viriles.*
*Credas ad Tanaim ferumque Phaſim*
*Thermodontiacas calere turmas.*

Neu Principes modò cenſete hanc inſaniam inſaniſſe: ecce apud Athenæum priuatus quidam teſtaméto cauet, γυναῖκας ἐυπρεπεςάτας μονομαχήσαι. Hoc adeò verum eſt vt, Seuero Principe, vetandum Senatuſconſulto fuerit, μηκέτι μηδεμίαν γυναῖκα μονομαχεῖν, *non vltrà feminam vllam ad gladium depugnare.* Et quid dicitis? iámne mihi fides? Fides, ait Victor. Sed ô vates Euripides! mânibus tuis bene ſit, cum poëta Aquinate. Lernutius ridens, Quid culpas? ait. nónne hæc nuda & * Lacæna ſimplicitas? Oculis meis ſpectaculum tale ſit, & Dianis illis Actæon ego.

*Vetitum id Senatus decreto.*

* *Nam ea in gymnaſiis nuda.*

M Duza

Duza ſuſcipiens, Ridemúſne etiam? inquit. Aio non ſolùm feminas veniſſe in has pugnas, ſed pumilos & nanos, improbo quodam ſtudio nouitatis. Xiphilinus in Domitiano: Πολλάκις δὲ τὰς ἀγῶνας νύκτωρ ἐποίει, καὶ ἔστιν ὅτε καὶ νάννας, καὶ γυναῖκας συνέβαλλε. *Pugnas etiam noctu ſæpe exhibuit: & interdum nanos ac feminas inter ſe commiſit.* Ita enim rectè emendauit vir eruditus Theodorus Marcilius, cum νόννας legeretur. Papinius de iiſdem Domitiani ludis:

*His audax ſubit ordo pumilorum,*
*Quos natura breui ſtatu peracto*
*Nodoſum ſemel in globum ligauit.*
*Edunt vulnera conſeruntque dextras,*
*Et mortem ſibi qua manu minentur*
*Ridet Mars pater & cruenta Virtus,*
*Caſſuræque vagis grues rapinis.*

B

## CAPVT V.

*Liberos homines qui in Arenam veniebant, propriè Auctoratos dictos. pretium mercésque eorum Auctoramentum. Vis & effectus Auctorationis. item solemne gladiatorum iuramentum.*

*Duo genera vniuersè gladiatorum.*

SED. vt vestigia mea relegam ex iis quæ dixi videtis duplex genus fuisse inter gladiatores, Coactos & Voluntarios. Coacti, serui, damnati, captiui: Voluntarij, liberi, quíque pretio se addicebant. Hi po-

*Auctorati.*

stremi, propriè Auctorati dicti. Vetus Horatij interpres: *Auctorati vocantur, qui se vendunt ludo. Auctoratio enim dicitur venditio gladiatorum.* Glossæ priscæ: *Auctoratus, ἀυθαιρέτως εἰς δοῦλον ἑαυτὸν βάλλων, καὶ μονομάχος.*

*Auctorare.*

Inde Auctorandi verbum, notione pari. Quinctilianus: *Quidam vt patrem sepeliret, auctorauit se.* Asinius Pollio ad Ciceronem: *Fadium quendam, quia cùm depressus in ludum bis gratis depugnasset, auctorari nolebat, vivum combussit.* Plinius lib. XIIII. *Vineæ in tantum sublimes, vt vindemiator auctoratus rogum & tumulum excipiat.* Ab eodem & Auctoramentum pretium

*Auctoramentum.*

ipsum gladiatoris, & merces. Paterculus: *In ea iugulati ciuis publicè constitueretur auctoramentum.* Seneca: *Quocunq. se verterit, pretium aliquod præsens occupationis suæ inueniet. nullum sine auctoramento malum est.* Cicero: *Merces ipsa in mercenariis, auctoramentum est seruitutis.* Seneca: *Hominem vænalis animæ crebris incitabat auctoramentis.* Gladiatorium Liuius appellauit lib. XLIIII. *Deinde in custodiam C. Cassio tribuno mil. traditus, vix gladiatorio accepto ab rege, rex vt in eam fortunam recideret.*

*deret.* nisi inibi legendum, *vix gladiatorio auctoramento, ab rege vt in eam f. r.* Nam vulgata non mihi certa. Sed hæc Auctoratio non simplex. Quia enim liberi; iuramento solemni interposito fiebat, quod vinclum seruitutis. iurabátque nouitius gladiator, se omnia passurum ausurumque, quæ legitimum gladiatorem ius mos esset. Formula adeò ipsa iuramenti in Petronij Arbitri fragmentis: *In verba Eumolpi,* inquit, *sacramentum iurauimus, vri, vinciri, verberari, ferróque necari: & quidquid aliud Eumolpus iussisset, tanquam legitimi gladiatores domino, corpora animósque religiosissimè addicimus.* Horat.

*Iuramentum in auctoratione.*

*Eius forma.*

*Quid refert, vri, virgis ferróque necari*
*Auctoratus eas? an turpi clausus in arca?*

Seneca epistola XXXVII. *Eadem honestissimi huius & illius turpissimi auctoramenti verba sunt, vri, vinciri, ferroq. necari. Ab illis qui manus arenæ locant, & edunt ac bibunt quæ per sanguinẽ reddant, cauetur vt ista vel inuiti patiantur: à te vt volens libénsque.* Allusit Tibullus:

*Vre meum potius flamma caput, & pete ferro*
*Corpus, & intorto verbere terga seca.*

Sed in Senecæ loco Vinciri verbum suspectum habeo: & fortasse, *Virgari.* In tria enim iurabant, Vstionem, Verbera, Necem: quæ gladiatores patiebantur ex more. Necem, cùm cecidissent, & ferrum iuberentur recipere: flammam & verbera, siquando timidius pugnarent, aut fugerent à ferro. Acron in Horatium: *Gladiatores ita se vendunt, & cautiones faciunt, vri flammis, virgis secari, ferróque necari.* Seneca epist. VII. exprimens sæuientis populi voces: *Occide, vre,*

*Ad tria pertinuit.*

*verbera. Quare tam timidè incurrit in ferrum? quare parum audaciter occidit? quare parum libenter moritur? Plagis aguntur in vulnera, & mutuos ictus nudis & obuiis pectoribus excipiunt.* Vbi rideatis licet notam oræ appositam, *Plagis, id est retibus.* Imò verberibus, ô stupor; & tu iis dignus. Quinctiliani verba huic rei, in Gladiatore: *Fremebant vbique omnia apparatu mortis. Hic ferrum acuebat, ille accendebat ignibus laminas: hinc virgæ, inde flagella adferebantur.* Item Tertulliani: *Imò qui propter homicidæ pœnam ad spectaculum veniat, idem gladiatorem ad homicidium flagellis & virgis compellat inuitum.* Hac fini Lorarij fuerunt, vt obseruo, siue Mastigophori in Arena & in Scena. Xiphilinus in Nerone: Καίτοι πῶς ἄν τις ἀκέσαι μὴ ὅτι ἰδεῖν ὑπομείνειεν, αὐτοκράτορα Αὔγεσον τὸν ἀγωνοθέτας τὸν τε μαστιγοφόρους φοβάμενον, καὶ χρήματα αὐτοῖς κρύφα ἀναλίσκοντα μὴ καὶ ἐλεγχθείς μαστιγωθῇ. id est: *Quis verò audire nedum videre posset, Imp. Augustúmque præfectos ludorum & Lorarios timentem? iísque clam pecuniam subministrantem, ne reprehensus vapularet?* Arcadius Iurisc. l. XVIII. De muneribus: *Mastigophori quoque qui agonothetas in certaminibus comitantur, & scribæ magistratus, personali munere seruiunt.* Mentio eorum & Thucydidi libro quarto, & Polluci lib. III. Apud Eusebium lib. v. Eccles. historiæ in epist. Viennensium & Lugdunensium, de martyribus qui ad bestias dati. ὑπέφερον πάλιν τὰς διεξόδους τῆς μαστίγων τὰς ἐκεῖσε εἰθισμένας.

*Mastigophori.*

CAPVT

## CAPVT VI.

*Facta fine dicendi de conditione gladiatorum, interlocutiones aliarum rerum insertæ. De orientalium parcimonia, vel abstinentia potius, in potu. De nuntiis litterisque per columbas aut hirundines, etiam in Spectaculis.*

MISSVS secundus inferebatur; & Duza, dum mensæ commutantur, cibi collocantur, paullisper interquieuit. Lernutiúmq. adspectans, Dic sodes domine, inquit: apud Orientis populos natus es tu? Quid iam? inquit Lernutius. Quia enim caninum hoc prandium est, ait Duza. mihi certè, qui vinum non attigi. Nescio quis autem scriptor apud Suidam notat, ita receptum fuisse populis ad Ortum, nemo vt vinum infunderet nec biberet quisquam inter cibum. Verba eius: ὠνοχόει δὲ οὐδεὶς οὐδ' ἐνομίζετο παρὰ τοῖς Ἑῴοις βαρβάροις ἐμπίνειν δειπνοῦντας. Colorem non tenuit Lernutius; & ministrum respiciens, Scelus pueri, inquit cassus oculis manibúsque es tu? Monitum hoc à me oportuit? Tamen Duza, ne nescias, nouæ imò veteris Italiæ placitus mihi mos: Sitis? posce. Ita hîc viuitur. Sed de columbis istis gustas? Pone, Victor, ad Duzam. Duza toto vultu renuit, Non ego, inquit, non ego. Quid ita? inquit Lernutius. fortasse te columbis non amicum? Amicissimus sum, ait Duza. Quian' igitur Syrus es? inquit. Minimè, ait. tamen & nobis Batauis hæ colũbæ sacræ. Iure. vitam & hunc spiritum debemus illis. Eæ nobis obsessis arcanorum apud socios interpretes; eæ litterarum fidæ administræ; eæ rebus iam deploratis, & tantum non funere

*Orientales non bibere soliti ad mensam.*

funere noſtro conclamato, ſolæ indices auxilij ſalutaris. Audita nobis hæc miracula, ait Victor, & tuum tunc robur: ſed miracula apud vulgus. Nam nos exemplum eſſe ſcimus ab D. Bruto, obſidione Mutinenſi. Nam, vt tu diſertè ſcripſiſti,

*Quid vigil obſidio, quid arces,*
*Aut valla proſunt, per ſpatia inuij*
*Eunte cæli nuntio?*

*Columbæ ad litteras ferēdas, in Spectaculis.*

Imò Victor, inquit Berchemius, in re ludicra inque his ipſis Spectaculis de quibus cum maximè agimus, vſus olim ſimilis columbarum. Nam patres familias qui in Theatrum aut Circum ibant, vnde non pro arbitrio reditus, columbas ſecum ſinu ferebant, eáſq. emittebant cum tabellis, nuntias domum quid vellent. Varro de Re ruſtica: *Columbas redire ſolere ad locum licet animaduertere, quod multi in theatro è ſinu miſſas faciunt, atque ad locum redeunt: quæ niſi reuerterentur, non emitterentur.* Atque à theatro, credo, illud Brutinę militiæ exemplum. Plinius factitatum idem in hirundinibus obſeruat lib. x: *Cæcina*, inquit, *Volaterranus equeſtris ordinis, quadrigarum dominus, comprehenſas hirundines in vrbem ſecum auferens, victoriæ nuntias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes illito victoriæ* * *colore.* Dum fabulamur, Pighius ecce intrat. Gratulatione & ſalute à nobis excipitur, non à Lernutio, qui adducta fronte, Homo infide, inquit, quid de te merui, vt diem tam feſtum abſentia tua redderes nobis infeſtum? Hoc herè pollicitus? Per fidem Lernuti, inquit Pighius, ignoſce. Neſcio quod purgamentum hodie egrediens calcaui: ita notabiliter toto

*Varroni alia lux.*

* *Factionis ſcilicet eius quæ vicerat, puta Venetæ, Praſinæ, &c.*

toto die infelix, & non mei iuris. Et simul nescio quid in aurem Lernutio insusurrauit: iterúmque altiore voce, In Catomum posthac malo, inquit: quàm denuò ad hos Catones. Duza ad illum, Non tu gratus Lernutio? mihi certè. Non ille columbarum liberatricium nuper iocundior adspectus: quàm nunc tuus. Ecce enim suppositicium tibi me fecerant boni isti Editores: at nunc scilicet per te soluor. Soluam ego te? ait Lernutius. Agite mastigophori, flagella & ignem. Quid iis facturus? inquam ego. Vt hunc, ait, nouum auctoratum compellam ad cœptam pugnam. Hem! inquit Duza. ab igne mihi cautio est, Thetidis marinæ filio. Pareo, magister, potius.

## CAPVT VII.

*Reditio ad gladiatores. De generibus eorum & discrimine. De Secutoribus primò; caussa nominis: ratione pugnandi, & armis.*

PIGHIO locus sedendi apud me fuit. At Duza iterum sic orsus est. Quod primùm ergo in Hominibus proposui, id dixi: Genera sequuntur & discrimen. Nec enim gladiatorum vnum nomen aut vna classis: sed ab armis, à locis, à tempore, aliísque caussis diuersi. Ea omnia operæ mihi est, vt accuratè persequar: quia nec vulgo nota, & litteratorum nostrorum in his sæpe error. In prima classe, qui armis & ratione pugnæ diuersi, colloco istos, *Varia genera gladiatorum.*

SECVTORES

RETIARIOS

THRECES
MYRMILLONES
HOPLOMACHOS
SAMNITES
ESSEDARIOS
ANDABATAS
DIMACHAEROS
LAQVEARIOS

*Secutores, qui?*

Ordiar à Secutore. is ab insequendo Retiarium dictus, ait Isidorus. Et verum est. nam secutor propriè adsecla, comes, ἀκόλουθος. Itaque extra rem gladiatoriam lego Secutorem Tribuni, Secutorem Cæsaris, muneris operæque nomen. Neapoli in marmore:

*Secutor in militia, vt videtur ex lapidibus.*

TAVRO. SECVTO
RI. CAESARIS

Romæ ad columnam Antonini:

M. ANTONI. M. F. FAB. PHOEBI
MIL. COH. XIV. VRB. ב. PERENNI
STIPENDIOR. IIII. SECVTOR. TRIBVNI

Et alibi:

M. SIL. ROMVLIANVS
MIL. COH. VII. PR. ד. VICTORIS
SECVTOR. TRIB.

Et fortean sic dicti milites, qui ex instituto prisco Tribunos comitabantur, velut loco apparitorum.

*Martis id cognomen.*

De quo Lampridius in Alexandro. Ab hac eâdem notione Mars cognomento Secutor apud Milesiarum scriptorem lib. VII. *Grandem hircum, annosum, & horricomem Marti secutori comitíque immolant.* quod cognomen ei aptum, cùm secundus obsequensque.

*Apuleius interpretatus.*

Ideò

Ideò rectè Comitem adiecit Apuleius, velut interpretamentum. Nec abiit ab hac proprietate idem scriptor lib. IIII. *Non diu*, inquit, *cruciatus vitam euasit: quem prioris exemplo sepulturæ traditum, bonum secutorem Lamacho dedimus.* id est, qui Lamachum sequeretur comitareturque ad Orci domum. In Petronio etiam lego Sècutuleiam mulierem: *Et pro pudor*, inquit, *tanquam mulier secutuleia vnius noctis tactu omnia vendidit.* si recta lectio est, ab hoc eodem etymo, quæ virum appetat & sectetur ipsa. Quamquam & respectus ibi fortè aliquis ad rem gladiatoriam: quia fugitiui illi, quos inducit Arbiter, olim in Arena. At Secutorum, inter certa gladiatorum nomina, mentio multa. Cicero ad Atticum lib. VII. *Gladiatores Cæsaris qui Capuæ sunt sanè commodè Pompeius distribuit, binos singulis patribusfamiliarum. Secutorum in ludo ∞. ∞. fuerunt.* id est, duo millia. Ita inibi malo, quàm IↃↃ. cum Manutio & aliis, numerum exorbitantem. Quis enim crediderit quinque millia gladiatorum Capuæ fuisse, & quidem Secutorianæ, id est vnius armaturæ? Iuuenalis:

*Secutuleia.*

*Petronius interpretatus.*

*Numerus in Cicerone vitiosus.*

——*cum Graccho iussus pugnare secutor.*

Lapis Veronæ; AE DONI. SECVTORI PVGN. VIII. Dio in Commodo, ἐχρῆτο τῇ ὁπλίσει τῇ τῶν Σεκούτωρος καλουμένων. *vsus est armatura eorum qui Secutores dicuntur.* Lampridius in eius vita: *Appellatus est inter cetera triumphalia nomina etiam sexcenties vicies, Paulus primus secutorum.* Vbi optem scribere, *Palus primus.* Certè enim nomen est vilis alicuius gladiatoris, non cognomen Æmiliæ gentis. Ille autem sic

*Coniectura in Lampridio.*

dictus fuerit, quia immobilis inuictúsque aduersum oppugnantes, velut palus, ad quem milites exercebantur. Suadet hanc scripturam etiam Dio: ἐπέγραψε πρὸς τοῖς ὅπλοις αὐτοῦ ἐπωνύμοις καὶ τοῦτο, ὡρωτόπαλος Σεκυτόρων, si diductim tamen legas corrigásque, ὡρῶτος πάλος. Nam nomen proprium fuisse non dubium, ex ritu quo solent victores appellari nomine alicuius celebris gladiatoris. Lampridius: *Nomina gladiatorum recepit eo gaudio, quasi acciperet triumphalia.* Arma Secutoris describit Isidorus, nescio an ex fide: *Secutor est ab insequendo retiarium dictus. Gestabat enim cuspidem & massam plumbeam, quæ aduersarij iaculum impediret, vt antequam ille feriret rete, iste superaret. Hæc armatura sacra erat Vulcano. Ignis enim semper insequitur. ideoq. cum Retiario componebatur, quia ignis & aqua semper inter se inimica sunt.* De massa quidem plumbea nihil mihi lectum. & gladium illi tribuit Prudentius:

*Et altera in Dione.*

*Secutorum arma.*

*Gladius.*

*Altius impresso dum palpitat ense secutor.*

*Clypeus.* Clypeum adiungit Dio, de Commodo: τὴν μὲν ἀσπίδα ἐν τῇ δεξιᾷ ἔχων. quem inserit eius dextræ, non quia id alij Secutores, sed quia Cõmodus gloriabatur iactabátq. esse scæua. Idem & Galeam: quæ communis gladiatoribus plerisque. Artemidorus lib. 11. aliquid iuuat in ratione Secutoriana pugnandi: *Siquis*, inquit, *cum Secutore compositus sibi videbitur*, ἔυμορφον μὲν λήψεσθαι γυναῖκα καὶ πλουσίαν, μεγάλα δὲ φρονοῦσαν ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ, καὶ διὰ τοῦτο καταφρονοῦσαν τοῦ ἀνδρὸς, καὶ πολλῶν κακῶν αἰτίαν ἐσομένην, ἀεὶ γὰρ διώκει. Secutores cum Myrmillonibus eosdem esse scribit in Epistolas ad Atticum vir disertus. & vellem ratione aliqua id docuisset, aut exemplo.

*Galea.*

CAPVT

## CAPVT VIII.

*De Retiario. vnde petitum id genus. descriptio pugnæ & armorum. & cum quo commissus.*

RETIARIVM ritè subiungam. is enim plerumque commissus cum Secutore. Isidorus describit his verbis: *Retiarius*, inquit, *qui contra alterum pugnantem occultè ferebat rete quod iaculum appellatur* (vellem scripsisset breuius & verius, *ferebat reteiaculum*) *vt aduersarium cuspide insistentem operiret, implicitumque viribus superaret. quæ armatura pugnabat Neptuno tridentis caussa.* Origo & exemplum eius armaturæ, non dubiè à Pittaco, qui inter sapientes. Ita enim ille ex prouocatione cum Phrynone pugnauit. Strabo libro XIII. Ὕστερον δὲ ἐπὶ μονομαχίας προσκαλεσαμένου τὸν Φρυώνος, ἁλιευτικὴν ἀναλαβὼν σκευὴν συνέδραμε, καὶ τῷ μὲν ἀμφιβλήστρῳ περιέβαλε, τῇ τελαίνῃ δὲ καὶ τῷ ξιφιδίῳ ἔπειρε καὶ ἀνεῖλε. id est: *Postea verò ad singularem pugnam à Phrynone prouocatus, cum piscatoria schema in eum pugnauit: & reteiaculo quidem hominem circumuoluit, tridente verò & pugione impulit occiditque.* Similia Diogenes lib. I. præter quod δίκτυον ὑπὸ τὴν ἀσπίδα λαθραίως habuisse eum scribit. At Retiario certè nostro non clypeus. Iuuenalis cũ cura eius arma descripsit, & velut ex professo, dum Gracchum quendam ex prima nobilitate tangit, qui in arena retiarius pugnauit, Satyra VIII.

*Retiarij, qui?*

*Eorum origo.*

—— *& illud*

*Dedecus vrbis habe. nec myrmillonis in armis,*
*Nec clypeo Gracchum pugnantem, aut falce supina,*
*Damnat enim tales habitus, & damnat & odit.*

*Nec galea frontem abſcondit. mouet ecce tridentem,*
*Poſtquàm vibrata pendentia retia dextra*
*Nequiquam effudit: nudum ad ſpectacula vultum*
*Erigit, & tota fugit agnoſcendus arena.*
*Credamus tunicæ, de faucibus aurea cùm ſe*
*Porrigat, & longo iactetur ſpira galero.*
*Ergo ignominiam grauiorem pertulit omni*
*Vulnere, cum Graccho iuſſus pugnare ſecutor.*

*Iuuenalis explicatus: & retiariorum arma.*

Quæ digna explicatu. Ait, *nec clypeo Gracchum pugnantem.* non ergo Retiario clypeus: & remouet à Secutoribus. Addit, *aut falce ſupina.* non ergo ſica: & remouet à Threcibus. Deinde, *Nec galea frontem abſcondit.* quia contentus ſolo galero, de quo etiam ſubiecit, *& longo iactetur ſpira galero.* Nuda facie ergo Retiarij, ſoli ex gladiatoribus. Ad quam ſententiam aptanda fæuitia illa Claudij Tranquillo narrata, qui *gladiatores etiam fortè prolapſos iugulari iubebat maximè retiarios, vt exſpirantium faciem videret.* cap. XXXIIII. Item hoc Iuuenalis, in loco: *nudum ad ſpectacula vultum Erigit.* Pergit, *Poſtquam vibrata pendentia retia dextra Nequiquam effudit,* & oculis ſubiicit ſolemne genus eius pugnæ. Ita enim docti Retiarij factíque, vt arte quadam, collectum ſuſpenſumque dextra manu rete in aduerſarij caput iacerent: & ſi erraſſent, effusè fugerent donec fortè iterum rete collegiſſent. Ad hanc fugam illud, *tota fugit agnoſcendus arena.* & Artemidori interpretatio: εἰ δὲ Ρητιαρίῳ, λήψεῖ γυναῖκα ἄποροι καὶ ἐφοπτικὴν, καὶ φυγάδα, ῥᾴστα τῷ βαλομένῳ πλησιάζουσαν. Ait etiam Iuuenalis —*mouet ecce tridentem.* Tridens enim ſiue fuſcina illi, pro gladio.

*Nudo vultu,*

*Rete effundebant.*

*Deinde fugiebant.*

*Tridens ei pro telo.*

Poſtre-

Postremò —*credamus tunicæ.* scilicet quia inermes Retiarij, & in sola tunica. Sic de eodem alibi* idem: —*tunicati fuscina Gracchi.* Suetonius Calig. *Retiarij tunicati quinque.* Tertullianus tamen Spongiam iis adtribuit, pectori nimirum tegmen. *Poterit,* inquit, *de misericordia moueri defixus in morsus vrsorum, & spongias retiariorum.* Nec plura dixerim de armis. Interrumpens Pighius, Non tu plura? inquit. Atqui etiam gladium illis fuisse firmare ex Valerio meo possum, à te negatum. Verba eius libro 1. De Somniis: *Cùm gladiatorium munus Syracusis ederetur, inter quietem Aterius Rufus quidam retiarij se manu confodi vidit: idq. postero die in spectaculo consessoribus narrauit. Incidit deinde vt proximo ab equite loco, retiarius cum myrmillone introduceretur. cuius cùm faciem vidisset* (nota & hîc vultum retiarij nudum)* *idem dixit ab illo retiario se trucidari putasse, protinúsque inde discedere voluit. Illi sermone suo metu eius discusso, caussam exitij misero adtulerunt. Retiarius enim in eum locum compulso myrmillone & abiecto, dum iacentem ferire conatur, traiectum gladio Aterium interemit.* Nónne disertè ait gladium? Duza excepit ambigens, Semel id lectum, inquit. & quis scit an gladius non venerit in locum tridentis? cuiusmodi menda pluria sublata tibi Valerius debet. Rem certè vide. quomodo gladius illi, si in sinistra tridens, in dextra rete? Nisi fortè ad latus succinctus ille, non ad pugnæ vsum sed cædis. id est, quo prostratum abiectúmq. aduersarium iugularet. Quod eò magis illabitur, quia Pittaco ξιφίδιον etiam tribuit Strabo. Victor hîc Duzæ, Sequitur vara vibiam, inquit.

*Satyr. 11.

*Et Spongia, tegmen.*

*An & gladium habuerint?*

* *Mallem,* iisdem.

*Dubitatum in Valerij scriptum.*

inquit. Post Pighium, etiam ego in te ibo. Dixisti Retiarium cum Secutore compositum: ego aio cum Myrmillone. Occupans Duza. Mane Victor, inquit, mane. hoc iam agebam, vt expedirem. Dixi cum Secutore; & rem dixi. Iuuenalis, —*cum Graccho iussus pugnare secutor.* At Gracchus retiarius. Suetonius Caligula: *Retiarij tunicati quinque numero gregatim dimicantes, sine certamine vllo totidem secutoribus succubuerant. cùm occidi iuberentur, vnus resumpta fuscina omnes victores interemit.* Iuuat quod Lampridius scribit: *Commodum confeciſſe mille palmas retiariis victis vel occisis.* Commodus autem inter Secutores. Nec negaui tamen de Myrmillone. cuius compositionis exemplum in Valerij paullò antè verbis, & in Festo, *Retiario,* inquit, *aduersum myrmillonem pugnanti cantatur, Non te peto, piscem peto.* Et Quinctiliano, apud quem Pedonis iocus *de myrmillone qui retiarium consequebatur, Viuum, inquit, capere vult.* Nec nouum vt vnus cum diuersis componatur: sicut Myrmillo ipse etiam cum Threce. Finio de Retiariis, si versus Prudentij addidero:

*Retiarius cum Secutore commissus.*

*Vel cũ Myrmillone.*

*Spectant æratam faciem quam crebra tridente*
*Impacto quatiant hastilia, saucius & quam*
*Vulneribus patulis partem perfundat arenæ.*

Item inscriptionem veterem satis argutam, quæ Tergeste:

CONSTANCIVS. MV
NERARIVS. GLADIA
TORIBVS. SVIS. PROP
TER. FAVOREM. MV

NERIS.

NERIS. MVNVS. SEPV
LCHRVM. DEDIT. DE
CORATO. RAETIA
RIO. QVI. PEREMIT. CA
ERVLEVM. ET. PER
EMPTVS. DECIDIT.* AM
BOS. EXTINXIT. RV
DIS. VTROSQ. PROTE
GIT. ROGVS. DECORA
TVS. SECVTOR. PVG
NARVM. VIIII. VALE
RAE. VXORI. DOLO
RE. PRIVVM
RELIQVIT.

* *Significat vtrosque rudiarios fuisse, & præmio inductos pugnasse.*

C

O

## CAPVT IX.

*De Threce. vnde & quando orti. de armis eorum, & præsertim accuratè de Sica.*

THRACEM nunc dabo, vel, vt libri fideliores semper, Threcem. ad quod exemplum in Maximini vita, Threciscus. Festus de istis: *Threces gladiatores, à similitudine parmularum Thraciarum.* Imò non ab armis solùm, sed, credo, quia ipsi ex ea gente. Odorari videor è vestigiis Liuianæ scripturæ, parum firmis tamen pleníque. lib. XLI. vbi cùm narrasset Persea regem crebras gladiatorum pugnas dedisse, imitatione Romana, addit: *Familiare oculis gratumq. id spectaculum fecit, & armorum studium plerisq. iuuenum accendit. Itaque, qui primò ab Roma magnis præmiis paratos gladiatores accersere solitus erat, iam suo*** Nam quæ sequũtur, sunt in lacuna. Tamen videtur mihi subiecisse, *iam suo è regno Romam mittebat*, aut quid tale. Et, nisi fallor, hæc origo Threcum. Certè suo ingenio prona ea gens ad pugnas & cædes. Ammianus: *E Thracibus inter alios immaniter efferati memorantur Odrysæ, ita humanum fundere sanguinem adsueti, vt cùm hostium copia non daretur, ipsi inter epulas, suis velut alienis corporibus imprimerẽt ferrum.* Gladiatorum Threcum sparsa in libris mentio. Apud Plinium lib. XI. *Studioso Threci in C. Cæsaris ludo notum est dextram fuisse proceriorem.* Apud Senecam, initio libri IV. Quæstion. Natural. *Te*, inquit, *longiorem iurabo Fido Annæo & Apollonio Pycta, quamuis staturam habeas Thetisi Threcæ incompositi.* quæ postrema in libro Lipsij scripto, *Threcisum trece compositi.*

*Threces, qui, & vnde dicti.*

*Conatus interpretandi explendique Liuij.*

*Threces cruenti.*

*compoſiti.* ex iiſq. procliua correctio, *Threces cum Threce compoſiti.* Habitum videlicet aſpicit pugnantium inter ſe Threcum, &, dum in arma ſe colligunt, ſubſi-

*Threcem cum ſecutore confudit Horatij interpres.*

dentium. Mentio & iſtorum Horatio, ——*Threx eſt Gallina Syro par?* Quæ ad verba ludus mihi & iocus Scholiaſtes vetus (ſi tamen ille) *Threx Gallina,* inquit, *fuit ſecutor, Syrus autem retiarius.* O homo,

** Ipſum attigiſti nempe limen oſtij.*

* Αὐτὸν κέντρυνας τὸν βατῆρα τῆς θύρας, vt eſt parœmia. At ecce nouitius interpres configit illi oculos, & *Thrax,* inquit, *eſt myrmillo: & ſecutor idem cum retiario.* Quid

*Alius cum myrmillone.*

reſtat? niſi vt columba ſit miluus, & ouis lupus? Nu-

*Arma Threcum. Parma, ſiue pelta.*

gantur illi: nos arma Threcum videamus. Feſtus dat iis parmas. etiam Martialis:

*Hæc quæ ſæpe ſolet vinci, quæ vincere rarò*
*Parma, tibi ſcutum pumilionis erit.*

Nec mirum, quod ſæpe victæ parmæ: quia paruæ, & vt Statius ait, —— *difficiles excludere vulnera peltæ.* Sumpta autem parma à Thracum populo, quibus velut propria. Gloſſæ: *Parma,* θρακικὸν ὅπλον· Plinius de Speculis: *Plurimumque refert concaua ſint & poculi modo, an parmæ Threcidicæ.* Eadem eſt cum lunata pelta. Ariſtophanes de Thracibus:

Καταπελτάσονται τὴν Βοιωτίαν ὅλην.

*Clemens Alexand. correctus.*

Corruptus in hac voce Alexandrinus Clemens Stromat. 1. Θρᾷκες, inquit, πρῶτοι τὴν καλουμένην πάρμην εὗρον (ἔστι δὲ μάχαιρα καμπύλη) καὶ πρῶτοι πελταῖς ἐπὶ τῶν ἵππων ἐχρήσαντο. id eſt, *Thraces primi eam, quæ Parma nominatur, inuenerunt (eſt autẽ gladius incuruus) & primi peltis in equis ſunt vſi.* Quid? parma, gladius? dictu auditúque nouum. Corrigo, τὴν καλουμένην ἅρπην. Harpe enim

Thra-

Thracum, quæ Latinis, sica. Iosephus lib. x x. καὶ οἱ Σικάριοι καλέμενοι (λῃσταὶ δὲ εἰσιν ἔτοι) τότε μάλιστα ἐπλήθυον, χρώμενοι ξιφιδίοις παραπλησίοις μὲν τὸ μέγεθος τοῖς τῶν Περσῶν ἀκινάκαις, ὀπισθίοις δὲ καὶ παραπλησίοις ταῖς ὑπὸ Ρωμαίων Σίκαις καλεμέναις· ἀφ' ὧν καὶ τὴν προσηγορίαν οἱ λῃσεύοντες ἔλαβον. Id est: *Ij qui Sicarij appellati (latronum genus est) tunc sanè excreuerant, vtebantur gladiolis, quod ad magnitudinem attinet, haud longè ab Persarum Acinace diuersis: sed incuruis tamen inflexisque, quales sunt eæ quæ Romanis appellantur Sicæ. vnde & agnominationem latrones ij habuerunt.* Glossæ: *Sica* θρακικὸν ξίφος ὀπισθίμπες. Hæc autem ipsa Sica, in vsu Threci gladiatori. Suetonius in Caligula: *Myrmillonem rudibus secum batuentem, & sponte prostratum confodit ferrea sica.* Probabile enim, contra myrmillonem, pugnasse eum Threcidicis. Iuuenalis clarius: ——*pugnantem falce supina.*

*Harpe, ensis falcatus: Curtio Copis. Sica Romanorũ, qualis.*

*Ea threcum propria.*

Quam falcem doceo interpretes Harpen esse siue Sicam, & Threcem circumscribi. Et clarissimè Artemidorus, me quidem emendante: εἰ μὲν θρᾷκι πυκτεύει τὶς, λήψεται γυναῖκα πλουσίαν, πανοῦργον, καὶ φιλόφρωδον. πλουσίαν μὲν, διὰ τὸ κατεσκεπάσθαι τοῖς ὅπλοις. πανοῦργον δὲ, διὰ τὸ μὴ ὀρθὸν ἔχειν τὸ ξίφος. φιλόφρωδον δὲ, διὰ τὸ ὀπιβαίνειν. Nam libri præferunt, θώρακι. & interpres nihil sani. Mens verborum eius hæc: *Siquis cum Thrace certare sibi videtur, vxorem ducet diuitem, astutam, ambitiosam. Diuitem, quia protectus armis. astutam, quia gladius illi non rectus. ambitiosam, quia attollit se & insurgit.* Vbi omnia expressa, quæ ad hanc armaturam. Sicam etiam describit nobis è Suetonij verbis Isidorus, sed, vt solet, à se peruersis & pollutis. *Sica*, inquit, *à secando. Tran-*

*Artemidorus verè emendatus.*

*quillus autem dicit, dum cuiusdã gladiatoris in ludum emissi gladius curuatus fuisset ex acie recta: procurrit vnus ad eum corrigendum. tumque à pugnante responsum, sic pugnabo. inde* Sicæ nomen datum est.* An mens hæc Tranquilli, nescio & ambigo: balbutiem quidem Hispalensis illius videtis. Arma Threcum, Ciceroni, aliisque, Trecidica dicta: & pugnare Threcidicis.

*Certè Sicam poëtæ producunt: tanquã aliunde etymo quàm à secando.

*Threcidica ἁπλῶς, ipsa arma Threcum.*

## CAPVT X.

*De Myrmillone. origine nominis vix inuenta, ipsi è Gallia petiti. Arma eorum, & compositio.*

MYRMILLONEM in Arenam nunc produco. & simul obortus Duzæ largior risus. Nos mirati sumus. Quid rei subitæ est? inquam. & quem rides, aut irrides? Non possum, inquit, mihi admoderarier. Virum doctum rideo, virum magnum, qui Myrmillones dictos quasi Myrmidones censet, littera D. in L. mutante. O Musæ! quò non penetrat Criticum acumen? vt ego me hebetiorem natum esse, non molestè feram. Transfert ecce velificante vna littera Myrmillones in Græciam. At ego in Galliam potius; vnde veniisse eos accredam Festo: *Retiario*, inquit, *pugnanti aduersus myrmillonem cantatur, Non te peto, piscem peto: quid me fugis Galle? quia myrmillonicum genus armaturæ Gallicum est, ipsique Myrmillones antè Galli appellabantur, in quorum galeis piscis effigies inerat.* Nec abit à Festo Plutarchus in Crasso, qui gladiatores eos qui cum Spartaco rebellarunt, è ludo Lentuli, Gallos fuisse ait & Thraces. Et Gallos ceperim, Myrmillones. Describere mihi hanc armaturam

*Turnebi originatio ridicula super Myrmillone.*

*Myrmillones Galli.*

turam Tacitus videatur, lib. III. Annalium: *Adduntur è seruitiis gladiaturæ destinati, quibus more gentico continuum ferri tegimen.** *Crupellarios vocant.* Nam & Myrmillones certè toti in armis. Ammianus indicat de Persis, libro XXIII. *Pedites enim in speciem myrmillonum contecti iussa faciunt.* Videntur inter pugnam soliti subsidere, ad excipiendum aduersarium, & vitabundi. Ausonius ostendit Præloquio Centonis sui: *Simulantur species multæ formarum, aper bestia, anser volans, aut myrmillo in armis subsidens.* Sed & Ammianus lib. XV I. *Seque in modum myrmillonis operiens, hostium latera perforabat.* Capitis ergo illa Artemidori verba de Threce, suprà: quem ait solitum, ὑπαίνειν, siue insurgere & velut conscendere in hostem: id est, myrmillonem subsidentem. Nam ij duo plerumque compositi. Ausonius in Monosyllabis:

*Quis myrmilloni componitur æquimanus? Threx.*

Cicero v. in Antonium: *Myrmillo pugnauit in Asia. cùm ornasset Threcidicis comitem & familiarem suum, illum miserum fugientem trucidauit.* Tamen etiam cum Retiariis, vt monui antè. Desinebat sermonem hunc Duza: sed ad eum Victor: Síccine defungeris? Turnebo modò inequitasti (sensi enim) in originatione Myrmillonis: tu, bone, quid adfers? Insciriam tantùm, inquit Duza. & si vis suspicionem, ab Etruscis eam esse vocem. Cùm enim res gladiatoria ab iis, quídni hoc vnum nomen? Turnebi autem, Victor, nec derisor nec arrosor ego. cuius probum doctúmque os veneror, & quem cum vno altero habeo velut λεύκανον τῶν χρυσῶν γένους.

*Videri eos Gallicè Crupellarios dictos.*

**Censeam ita dictos Gallis, quasi qui ob grauitatem armorum reperent, non irent. Crupelaers, siue Prorepos.*

*Ratio pugnandi.*

*Artemidorus explicatus.*

*Myrmillo cũ Threce pugnabat.*

*Siue etiã cum Retiario.*

*Myrmillonis verbum, mirum ni Etruscum.*

## CAPVT XI.

*De Hoplomacho & Samnite. qui fortassis iidem. Samnitium origo, & arma. Item de Prouocatoribus.*

HOPLOMACHOS subiungo & Samnites. Græcum illud nomen, vniuersè sonat quemuis gladiatorem, qui pugnet armatus. Et vix aliter Dio Cassius, quàm ὁπλομάχους & ὁπλομαχίαν scripsit, vbi magis tritè dixeris μονομάχους & μονομαχίαν. Tamen etiam species certa gladiatorum. Seneca pater lib. III. Controuers. apertè: *Quidam cum Hoplomachis, quidam cum Threcibus optimè pugnant.* Suetonius in Caligula: *Hunc è spectaculis detractum repentè Threci, & mox Hoplomacho comparauit.* Nec enim est vt loca ea interpretando eludas. Martialis versus in vtrumuis valet,

*Hoplomachus nunc es, fueras ophthalmicus antè.*
*Fecisti medicus, quod facis Hoplomachus.*

*Hoplomachus Græcis, pro quouis gladiatore: Romanus pro certa specie.*

Dubius animi sum, separem Hoplomachos; an cum Myrmillonibus, aut Samnitibus confundam. Puto cum alterutris. Nam & in Myrmillonem vox Græca conuenit, quia tectus armis: & verius fortasse in Samnitem. cuius nomen ante Ciceronem celebre, desiisse sub Imperatoribus videtur, & abiisse in Hoplomachum. At res armáque eadem. Samnitium sanè memoriam post Augustum non repperi. Anteà sæpe. Lucillius,

*Eoſdem videri cum Samnitibus.*

*Eserninus fuit, Flaccorum munere, quidam*
*Samnis spurcus homo.*

*Nonius, in Spurcum, emendatus.*

Ita lego constituóque iactatum à Criticis versum. Varro apud Plinium, Tritanum quempiam celebrat

*Samnitium armatura celebrem.* Quem locum transſcribens Solinus cap. IIII. Polyhiſtoris, aut corrupit, aut corruptus ipſe, *Varro*, inquit, *annotauit Tritanum Samnitem gladiatorem natura fuiſſe: qui & rectis & tranſuerſis neruis*, &c. Abſurdè. quis verò gladiator natura eſt? nec id per ſomnium voluit Varro. Corrigo, *Tritanum Samnitium armatura fuiſſe.* Et apud Ciceronem, Horatium, alióſque, Samnites crebri. Originem eorum non celat nos Liuius lib. IX. *Campani*, inquit, *odio Samnitium gladiatores eo ornatu armarunt, Samnitiumq. nomine appellarunt.* E quibus verbis etiam armatura eorum non ignota. nempe illa ipſa, quam in Samnitibus deſcribit idem Liuius: *Samnites*, inquit, *præter ceteros apparatus, vt acies ſua fulgeret nouis armorum inſignibus fecerunt. Duo exercitus erant. ſcuta alterius auro, alterius argento cælauerunt. Forma erat ſcuti, ſummum latius, quà pectus atq. humeri teguntur, faſtigio æquali: ad imum cuneatior, mobilitatis cauſſa. Spongia pectori tegumentum, & ſiniſtrum crus ocrea tectum. galeæ criſtatæ.* Picturam omnem ſperno, præ hac deſcriptione: quam ordine videamus. Ait, ſcuta cælata argento. Iam ergo intellego & diſco ad Samnites referenda, quæ Artemidorus ſcribit: εἰ δὲ τις μετ' ἀργυρέων ὅπλων πυκτεύοι, λήψεται γυναῖκα πρέμα πλουσίαν, πιστὴν, καὶ οἰκουρὸν, καὶ πειθομένην τῷ ἀνδρί. καὶ γὰρ ὑποβαίνει ἡ ἐπίπασσα. id eſt: *Si quis autem cum argenteis armis pugnet, vxorem ducet mediocriter diuitem, fidam, domus ſeruantem, viroque obſequentem. Nam & ſubit, & tectus eſt.* Addit Spongiam pectori tegmen. Ea eſt, quâ in nota feminei ſexus, qui gladiatoriam exercebat, vocat Iuuenalis Baltheum,

*Et Solinus.*

*Samnitium origo.*

*Arma eorũ.*

*Scutum argentatum. Artemidorus interpretatus*

*Spongia ſiue baltheus.*

*Quale*

*Quale decus, rerum si coniugis auctio fiat,*
*Baltheus & manicæ, & cristæ, crurísque sinistri*
*Dimidium tegmen.*

*Iuuenalis versus de feminis explicati.*

Nam ij versus planè apti de industria ad armaturam Samnitum; quam vt nobiliorem, feminæ (quoniam ita Veneri cum Marte visum) feminæ, inquam, nobiles adfectabant. Pergit Liuius: *sinistrum crus ocrea tectum.* quid aliud Satyricus ——*crurísque sinistri Dimidium tegmen?* Postremò, *galeæ cristatæ.* At Iuuenalis, ——*& manicæ, & cristæ.* Varro: *Pinnæ, quas insigniti milites in galeis habere solent, & in gladiatoribus Samnites.* Itaque Pinnirapi, noto illo versu

*Ocrea in sinistro crure.*

*Pinnæ in galeis.*

*Pinnirapi cultos iuuenes, iuuenésque lanistæ,*

*Iuuenalis explicatus.*

non alij quàm qui cum Samnite compositi, quíque rapiunt eius pinnas. Onomasticon vetus Secutores eos facere videtur: *Pinnirapi,* inquit, *sectatores gladiatores quòd pinnas rapiant.* Puto, *secutores.* In Cicerone tamen obseruo Prouocatores componi solere cum Samnitibus. Oratione pro Sestio: *Ex ergastulis emptos nominibus gladiatoriis ornauit, & sortitò alios Samnites, alios Prouocatores fecit.* Quãquam obscuri mihi Prouocatores, nisi si lucem iis dabunt hæc Artemidori: ὁ δὲ προβάκτωρ, εὐμορφον μὲν τὴ χαρίσασαν, λαμυρὰν δὲ τὴ ἑρπτικὴν. * Probactorem enim vocare videatur, quẽ Cicero Prouocatorem: & in alterutro vox emendanda. Ad Samnites etiam pertinere illa Apuleij censeam è lib. XI. *Porrò alium ocreis, scuto, galea, ferróque insignem, è ludo putares gladiatorio procedere.* Dat enim eorum arma. Nec plura de salebroso hoc vtroque genere: è quo non satis me eripio. Tu Lipsi, tu Pighi, iuuate.

*Prouocatores. siue probactores.*

**Nam fieri potest, vt peregrinum nomen sit, vt Myrmillo.*

## CAPVT XII.

*De Essedariis, déque Andabatis. & de vtráque ratione pugnandi.*

SILENTIBVS nobis, Heu capita sine lingua! inquit. sed pergo. Hactenus notissimos frequentissimósque gladiatores produxi: supersunt alij, famosi non adæquè. Essedarij sunt, qui ex essedo pugnant. *Essedarij gladiatores.* Mentio eorum Suetonio, Calig. cap. XXXV. *Cùm quodam die muneris essedario Poro ob prosperam pugnam seruum suum manumittenti studiosius plausum esset: propripuit se è spectaculis indignabundus & clamitans, dominum gentium populum ex re leuissima plus honoris gladiatori tribuentem, quàm consecratis Principibus aut præsenti sibi.* Iterum Claudio, cap. XXI. *Cùm essedario pro quo quattuor filij deprecabantur, magno omnium fauore indulsisset rudem, tabulam illicò misit admonens populum quanto opere liberos suscipere deberent, quos viderent & gladiatori præsidio gratiáque esse.* Ex quibus liquet inter legitimos gladiatores eos fuisse: quanquam mixtim, opinor, modò è curru, modò pedites prœliati sint. Nam desiluisse eos, & pedibus pugnasse, præit ad suspicandum Seneca in ioco Iulij Græcini, de Aristone philosopho qui in gestatione differebat. epist. XXIX. *De eodem cùm consulerètur Iulius Græcinus, vir egregius quid sentiret, Non possum, inquit, tibi dicere. nescio enim quid de gradu faciat. tanquàm de Essedario interrogaretur.* Vbi legerim, *degradus.* Seruum etiam habuisse videntur in pugna, qui pro auriga: ex Tranquilli priore loco. Nescio an in Artemidoro restituenda hæc vox: ὁ δὲ ἀρισδάριος,

*Ratio eorum pugnandi.*

*Iocus apud Senecam explicatus, correctúsque.*

*Bona certáq. in Artemidoro correctio.*

ἀεὶδάειος, ἀργὴν καὶ μωρὰν τὴν γυναῖκα σημαίνει. nescio, inquam, an legendum, ὁ δὲ ἐσσιδάειος. Credo restituenda, quia coniungit cum Equite siue Andabata. deinde ex interpretatione. Nam ἀργὴν velocem, vagam ibi acceperim: non otiosam inertémque. quod conuenit cum curru, & cum actionibus stolidæ & moræ.

F

*Andabatæ, qui?*

Andabatæ his proximi, siue ἀναβάται. sed Latina consuetudo vetus D. interiecit. Hi pugnabant ex equis, galea frontem oculósque tecti. Varronis Satyram fuisse scimus, cui titulus, Andabatæ. Ex ea fragmentum, quod aptum huic ritui firmando leuiter emendatum: *Aurum*, inquit, *non minus præstringit oculos, quàm τὸ σὲ κράτος.* vbi Iunius olim noster, *quàm ὁπλίτου κράτος.* Verissimè ego, *quàm τὸ σὲ κράνος.* Andabatam alloquitur: Et ô mi homo (ait Varro) aurum non minus excæcat oculos, quàm tua hæc galea. Certè enim pugnabant clausis oculis, adeò vt origo adagij inde. Hieronymus contra Iouinianum: *Melius tamen est quod dicitur, clausis oculis Andabatarum more pugnare, quàm directa spicula clypeo non repellere veritatis.* Idem contra Rufinum: *Habetur dialogus apud Græcos Origenis & Candidi: in quo duos Andabatas digladiantes inter se spectasse me fateor.* Valet, duos cæcos. Ambigo an iidem hi sint, qui Desultores (etsi non me fugit communius paullò id nomen fuisse, & pertinuisse ad eos qui ex equo in equum sine vlla pugna transilie-

*Clausis oculis pugnabãt.*

*Varro emendatus.*

*Adagium ab iis ortum.*

bant,



F

bant,arte,) ob verba hæc Pausaniæ, lib.v. *Ad carpentum iungebantur equæ dossuariæ, è quibus in extremo curriculo desilientes sessores, prehensis manu frænis, ad metam cursitabant. qui mos ætate mea seruatur ab iis qui Anabatæ appellantur.* Sed isti Græci: & alij, vt videtur, à Romanis. Andabatam non dubiè Artemidorus intellexit: ἱππεὺς δὲ τὴν γυναῖκα πλουσίαν μὲν εἶναι λέγει τὴν εὐγενῆ, φρένας δὲ οὐκ ἔχουσαν. id est: *Eques verò uxorem prædicit diuitem & nobilem, sed quæ futura excors.* Ita enim diuinat,quia Eques sine vsu oculorum. Martialem etiam de Andabata interpreter, vbi Hermetem gladiatorem attollit, & variis armis pugnacem facit, libro v.

*Artemidorus explicatus.*

*Hermes belligera superbus hasta*
*Hermes æquoreo minax tridente*
*Hermes casside languida tremendus.*

Puto enim intellegit singulis versibus, Samnitem, Retiarium, Andabatam. Quid enim aliud sit languida illa cassis, quàm hæc tenebras & languidã caliginem inducens? Isidorus nescio quid vani de istis blattit & imperfecti: *Genera gladiatorum plura,* inquit, *quorum primum ludus equestrium. Duo enim equites præcedentibus prius signis militaribus, vnus à porta Orientis, alter ab Occidentis procedebant in equis albis, cum aureis galeis, minoribus & habilioribus armis: sicq. atroci perseuerantia inibant pugnam, dimicantes quousque alter in alterius morte prosiliret. Quæ armatura pugnabat Marti, duelli caussa.* Nugæ mixtæ veris. De aureis galeis,credo illum rectè dicere: & eò spectare interpretamentum Artemidori, πλουσίαν. Vtrosque,Essedarios dico & Anda-

*Isidori locus de Andabatis capiendus.*

*Galeæ iis ex auro.*

& Andabatas. Cicero in epistola ad Trebatium coniunxit: *Sed tu in re militari multò es cautior, qui neque in Oceano natare volueris, neque essedarios spectare: quem anteà ne Andabata quidem fraudare poteramus.* Nec ad alios referri placet, quę de Equis gladiatorum idem ille, pro Sestio, scribit: *Qui quo tempore conspectus erat, non modò gladiatores, sed equi ipsi gladiatorum repentinis sibilis extimescebant.* *Cicero explicatus.*

G

## CAPVT XIII.

*Quidam adiecti nondum pernoti. Dimachæri, Laquearij. item ostensum confundi interdum dicta nomina à poëtis, sæpè à litteratoribus semidoctis. Artemidori caput descriptum, ad lucem.*

DIXI omnes: certè quidem mihi notos. Nam alij inter legendum reperti etiam, sed non inuenti. Vt in Artemidoro, * Dimachærus vel Orbelas: quem colligas facilè duobus gladiis pugnasse, nec scio vltrà. *Ignotiores gladiatores.*

** In Polluce lecti διμάχαιροι milites qui & peditis & equitis officio functi.*

H



H

*Laquearij.* Item in Isidoro Laquearij: *quorum pugna erat*, inquit, *fugientes in ludo homines iniecto laqueo impeditos consecutósque prosternere, amictos vmbone pelliceo.* De quibus hîc tantùm legi.

## I

Finierat Duza: excepit Lernutius, Multa herclè bonáque nos docuisti: sed discrimina hæc sempérne certa? Ferè semper, ait Duza. Confusa tamen est cùm inuenias à poëtis: vt ab Ausonio in Imperatoribus, de Commodo:

*Confusa interdum gladiatorum nomina.*

*Commodus insequitur pugnis maculosus arenæ,*
*Threcidico princeps bella mouens gladio.*

Non enim sica pugnauit, sed inter Secutores, vt dixi. At Threcidicum gladium, in genere posuit, pro gladiatorio. Sic idem, *Tres primas Threcum pugnas.* non reuera Threcum, sed * Samnitium potius, aut Myrmillonum. Sic Florus contrà, Myrmillonem Spartacum appellat; quem fatetur gente Thracem fuisse, credo & armis. Huiusmodi talia facile & deprehendere vobis & excusare: non item gregis nostri grammatici imperitiam, qui hæc omnia turbant, miscent. Sed quia Artemidori mihi non semel mentio: iube, sodes, promi librum, Lipsi: vt puer totum caput ex eo legat, huic gladiatoriæ rei.

** Hi enim vetustiores Threcibus.*

# EX ARTEMIDORI LIBRO II.

## CAPVT III.

### Περὶ μονομαχίας.

Μονομαχεῖν δὲ, δικάζεσθαι σημαίνει· ἢ ἄλλην τινὰ φάσιν καὶ μάχην μαχέσασθαι. μάχη τε γὰρ καὶ πυγμὴ καλεῖται, εἰ καὶ μὴ δι' ὅπλων γίνεται, τὰ δὲ αὐτὰ καὶ ἔγγαφα καὶ δίκαια τῶν μαχομένων σημαίνει· ἀεὶ δὲ τὰ μὲν τῶ φεύγοντος ὅπλα ἐγκλημάτων σημαίνει· τὰ δὲ τῶ διώκοντος ἐγκαλέσαι. ἐτήρησα δὲ ἐγὼ πολλάκις καὶ γάμον τὸν τοιοῦτον ὄνειρον ποιησάμενον γυναικὸς τοιαύτης, οἵα ἂν ἢ ὅπλα ἔχων οἵτις ὑπολάβοι πυκτεύειν. ἐπειδὴ δὲ ἄνευ τῶν ὀνομάτων αὐτῶν ἐνύπνια σαφῶς ἀδυνήσαι τὰς ἀποδείξεις, χρήσομαι καὶ τοῖς ὀνόμασιν. εἰ μὲν θώρακι πυκτεύει τις, λήψεται γυναῖκα, πλουσίαν, πανοῦργον, καὶ φιλόπρωτον. πλουσίαν μὲν, διὰ τὸ κατεσκεπάσθαι τοῖς ὅπλοις. πανοῦργον δὲ, διὰ τὸ μὴ ὀρθὸν ἔχειν τὸ ξίφος. φιλόπρωτον δὲ, διὰ τὸ ἐπιβαίνειν. εἰ δὲ τις μετ' ἀργυρέων ὅπλων πυκτεύει, λήψεται γυναῖκα πρᾶγμα πλουσίαν, πιστὴν, καὶ οἰκουρὸν, καὶ πειθομένην τῶ ἀνδρί. καὶ γὰρ ὑποβαίνει καὶ ἐσκέπασται. καὶ εὐμορφοτέρα ἡ πανοπλία αὐτὴ τῶ προτέρας, εἰ δὲ σκύτους, εὔμορφον μὲν λήψεται γυναῖκα καὶ πλουσίαν, μεγάλα δὲ φρονοῦσαν ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ, καὶ διὰ τοῦτο καταφρονοῦσαν τοῦ ἀνδρός· καὶ κακῶν πολλῶν αἰτίαν ἐσομένην. ἀεὶ γὰρ διώκει. εἰ δὲ ῥοπαρίῳ, λήψεται γυναῖκα ἄπορον καὶ ἐρωτικὴν, καὶ φυγάδα, ῥᾴστα τῶ βουλομένῳ πλησιάζουσαν. ἵππους δὲ τὴν γυναῖκα πλουσίαν μὲν εἶναι λέγει καὶ εὐχρῶ, φρένας δὲ οὐκ ἔχουσαν. Ὁ δὲ ἀειδάρφος, ἀργὴν καὶ μωρὰν τὴν γυναῖκα σημαίνει. Ὁ δὲ πρόβακτρος, εὔμορφον μὲν καὶ χαρίεσσαν· λαμυρὰν δὲ καὶ ἐρωτικήν. δίμαχαιρος δὲ καὶ ὁ λεγόμενος ὀρθήλας ἤτοι φαρμακὸν, ἢ ἄλλως κακότροπον ἢ ἄμορφον εἶναι τὴν γυναῖκα σημαίνει. ταῦτα, ὑπὸ πανδοκεύτρια δὲ καὶ τὸ εἰκὸς συμπεσὸν λόγους γράφω, ἀλλὰ ἀπὸ πείρας τῶν ἑκάστοτε ἀποβαινόντων πολλάκις ἐτήρησα.

CAPVT

## CAPVT XIV.

*Pausa aliqua iterum. intereà de Suppositiciis dictum. deque sorte. statim in viam reditum, & reliqua genera vel cognomina potius gladiatorum adiecta. primò Pegmares.*

FINIERAT Duza, & simul bellaria illata sunt mensæque postremæ. Duza auidè manum ad passulas porrexit, quæ appositæ: O dapes opportunæ! inquit. vobis mihi opus: ita irrausi. Et iámne, munerarie, mittis? Nam Suppositicium pro me hunc Lipsium dabo. Ego adsurgés, Tu me? inquam. quo iure? Iure veteri, ait Duza. quia ita receptum, vt fesso gladiatori aut victo alius atque alius succederetur, & contenderet cum victore. Ij Subditicij, vel Suppositicij dicti. Martialis, *Suppositicij gladiatoribus.*

*Hermes suppositicius sibi ipse.*

Græci (apud quos idem in * Athletis mos) vocant ἐφέδρους. Plutarchus in Sulla: τὸν μέντοι τελευταῖον ἀγῶνα, καθάπερ ἔφεδρος ἀθλητὴς καταπόνῳ προσενεχθείς, ὁ Σαννίτης Τελεσῖνος, ἐγγὺς ἦλθε τῆ σφῦλαι καὶ καταβαλεῖν ἐπὶ θύραις τῆς Ρώμης. id est: *At postrema pugna, Telesinus Samnis, tanquam succenturiatus suffectúsque athleta, defesso iam Sullæ comparatus, haud multum abfuit quin eum ad portas vrbis Romæ funderet prosterneretque.* Substituebatur autem sæpe vnus, alter, tertius. Vnde in Glossis, Ἔφεδρος, *tertiarius.* Dio in Caracalla: μονομάχων ἀνδρῶν ὅτι πλεῖστον ἔχαιρεν αἵματι. καὶ ἕνα γε αὐτῶν Βάτωνα τελσὶν ἐφέξης ἀνδράσιν ὁπλομαχήσαι τῆ αὐτῆ ἡμέρᾳ ἀναγκάσας, ἔπειτα ἀποθανόντα ὑπὸ τῶ τελευταίω φθειφανεῖ ταφῆ ἐτίμησε. id est: *Gladiatorum sanguine* **Vide Agellium lib. v. cap. ix.*

*ſanguine inprimis delectabatur. & ex iis Batonem quendam, cum tribus ex ordine eodem die pugnare iuſſit, eumque à poſtremo interfectum magnificè ſepeliit.* Credo & Lactantium ſentire de hoc ritu: *Iraſcuntur etiam pugnantibus, niſi celeriter alter è duobus occiſus eſt, & tanquam humanum ſanguinem ſitiant, oderunt moras. alios illis compares dari poſcunt recentiores, vt quamprimum oculos ſuos ſatient.* Itaque ades, Lipſi, & pugna mei feſſi vicem. Ego æſtuabam & tacebam. ſed commodùm ſubuênit Pighius: Non imponis nobis homo argutiſſime, inquit, non ſupponis. Mos hoc ſuadet? ſed non ad arbitrium tuum. Sors decidebat. Plinius lib. VIII. Epiſtolarum: *Scilicet vt in ſpectaculis quibuſdam ſors aliquem ſeponit ac ſeruat, qui cum victore contendat: ſic in Senatu ſunt aliqua prima, ſunt ſecunda certamina: & ex duabus ſententiis, eam quæ ſuperior exierit, tertia exſpectat.* Statius lib. III. Siluarum:

*Iam placidæ dant ſigna tubæ, iam ſortibus ardens*
*Fumat arena ſacris.*

vbi malè vulgò, *fortibus*. Ego ad Pighium, Mi ſeruator, inquam, ſtatuam certum eſt ſtatuam tibi: ita in tempore ſuppetias aduenisti. Sed quid ad hæc Duza? Tange hominem. licet ad tibicines mittamus. Imò ad ſortes, ait Duza: nam ad eas appello. Non placet, inquit Lernutius. Duza mihi hunc diem pugnet, ſine miſſione. Heu munerarium crudum! inquit Duza. ſed ſequi mihi potius eſt, quàm trahi. Igitur quia de armis dictum, venio ad reliqua genera gladiatorum. Inter quos primi ſe offerunt PEGMARES. iis à loco nomen, quia pegmatis impoſiti depu-

*Sæpe plures vnde Secundarij & Tertiarij.*

*Ii ſorte dari ſoliti.*

*Plinius illuſtratus.*

*Statius correctus.*

*Pegmares gladiatores vulgò.*

depugnabant. Locus vnus Suetonij est, qui eos adstruit, in Caligula cap. XXVI. *Gladiatorio munere, reductis interdum flagrantissimo Sole velis, emitti quenquam vetabat. remotoque ordinario apparatu, rabidis feris vilissimos senioque confectos, gladiatores quoque pegmares, patresfamiliarum notos, sed insignes debilitate aliqua corporis subiiciebat.* & is ipse locus anceps. Nam potius ibi legerim, *gladiatoribus quoque pegmares.* hoc sensu: Rabidis feris bestiarios viles, inualidósque: & gladiatoribus, operas pegmares fabrósque subiiciebat. Fauet huic interpretationi ipse Suetonius in Claudio, cap. XXXIIII. *Præter destinatos etiam leui subitaque de caussa quosdam commisit, de fabrorum quoque ac ministrorum atque id genus numero, si ἀυτόματον vel pegma vel quid tale aliud parum cessisset.* Hîc Victor: De sententia herclè persuades, inquit. Nam * gladiatores in pegmate pugnantes quis legit? Non ego. & Strabonis lib. V I. Iosephíque lib. V I I. loca hoc tantum euincere scio, captiuos aut insignis sceleris damnatos in Pegmate solere ostendi. De pugna verbum nusquam. In voce tantùm hæreo. qua enim deriuatione, quóue exemplo, à Pegmate Pegmares? Pegmaticos potius. & certè libri antiqui, *Pegmatos*, in Tranquillo plurimum referunt: *pegmatis*, quidam. alterutraque lectio retineri potest, ea mente vt gladiatoribus suppositos scribat patresfamilias pegmatis, id est, è pegmate. Ad pegma autem moliendum mouendumque, multi è numero fabrorum administri. Ij ergo admoti per occasionem tractique in arenam à Caligula. A qua interpretatione stare etiã Dio videtur, qui de eâdem

*Ii sublati.*

** Quos tamẽ viri docti adstruunt adseuerate.*

*Pegmares ineptè dici.*

*Patresfamilias pegmatis.*

hac fœuitia, ait illum deficientibus bestiariis rapi iussisse quosdam ὀπὶ τῶ ὄχλω τῶ τοῖς ἱππίοις παρεστηκότος, *è turba quæ pegmatibus adstabat.*

## CAPVT XV.

*Meridiani, non inter veros legitimósque gladiatores. sine armis, sine arte, seminudi.*

DVZA iterum, MERIDIANI, inquit, nunc occurrunt. quibus hoc nomen scilicet à tempore, quia sub meridiem darentur. Dio in Claudio: ἐπίθει δὲ συνεχῶς μονομαχίας ἀγῶνας. πάνυ γὰρ σφίσιν ἔχαιρε. τότε γὰρ ἄλλα καὶ τὰς διὰ μέσου τὰς θέας παρὰ τὸν τῶ ἀρίστου καιρὸν καταλοπομένους ἥδιστα ἐθεώρει. Cui velut interpres Suetonius cap. XXXIIII. *Bestiariis meridianisque adeò delectabatur, vt etiam prima luce ad spectaculum descenderet, & meridie, dimisso ad prandium populo, persederet.* Nominat eosdem Tertullianus: *Risimus & inter ludicras meridianorum crudelitates Mercurium mortuos cauterio examinantem; vidimus & Iouis fratrem gladiatorum cadauera cum malleo deducentem.* Nec hi tamen, vt obseruo, legitimi destinatique gladiatores, sed bestiariorum velut reliquiæ quædam & purgamenta. Duplex enim spectaculum, * Matutinum & Meridianum. Manè cum bestiis depugnabant: post meridiem, ij qui superfuerant, inter sese. & Meridiani gladiatores vocabantur. Ceterùm nec docti factiq. ad pugnam erant, nec armis in ea vtebantur aut arte. Cædes tantùm promiscua, & velut laniena. Seneca epistola VII. bene explicat: *Casu in meridianum spectaculum incidi, lusus*

*Meridiani.*

*Non veri gladiatores.*

** Adi librum tertium.*

*Modus pugnæ inter meridianos.*

*lusus exspectans & sales, & aliquid laxamenti, quo hominum oculi ab humano cruore acquiescant. Contrà est. quidquid antè pugnatum est, misericordia fuit. Nunc omissis nugis mera homicidia sunt. nihil habent quo tegantur, ad ictum totis corporibus expositi. nunquam frustrà mittunt manum. Non galea, non scuto repellitur ferrum. Quò munimenta? quò artes? omnia ista mortes meræ sunt.* (aut vt rectè liber vetus, *mortis moræ*) *Manè leonibus & vrsis homines: meridie spectatoribus suis obiiciuntur.* * *Interfectores interfecturis iubentur obiici, & victorem in alium detinent cædem. exitus pugnantium mors est. Hæc fiunt dum vacat arena.* Nec ad aliam crudelitatem grauis eiusdem Senecæ querela spectat, epistola XCVI. *Homo, sacra res, homo, iam per lusum & iocum occiditur; & quem erudiri ad accipienda inferendáque vulnera nefas erat, is iam* * *nudus inermísque producitur, satísque spectaculi in homine mors est.* Mehercules, inquit Victor, pectus mihi commouit Seneca. & quas arbitrer eas feras, quæ hæc spectarunt non dicam lætis, sed siccis oculis? —ἀγαθοὶ δ' ἀεὶ δάκρυσιν ἄνδρες, vt verbum vetus est. At perge Duza. Iterumque ille:

* *Ita emendamus. aliter vulgò.*

* *Non ergo vniuersè de aliis gladiatoribus.*

* *Viri autem boni proni ad lacrymas.*

## CAPVT XVI.

*Plura agnomina vno capite. Fiscales siue Cæsariani. Postulaticij. Cateruarij. Consummati. Ordinarij. Causſæ omnes nominum explicatæ.*

SVPERANT mihi etiam aliquot non tam genera gladiatorum, quàm cognomenta. quos omnes promiſcuè dabo, & velut vna commiſſione.

FISCALES gladiatores reperti in vita Gordiani iunioris. *Fuerunt*, ait Capitolinus, *ſub Gordiano Romæ elephanti triginta & duo, gladiatorum fiſcalium paria mille.* Sunt ij, qui in Cæſaris bonis, & velut fiſco. Nam Principes ipſi proprios & peculiares gladiatores alebant, ad inſtruendum ſuas populíque voluptates. Itaque rectè καίσαρος μονομάχους Arrianus dixit iſtos. Libro primo Diſſertationum: ἀλλ' ἐν μὲν τοῖς καίσαρος μονομάχοις εἰσί τινες οἱ ἀγανακτοῦντες, ὅτι ἐδεῖς αὐτοὺς προάγει ἐδὲ ζυγνύει. *At in Cæſaris gladiatoribus quidam ſunt quibus moleſtum eſt non produci, non componi.* Eadem ſententia (vt multa alia) expreſſa in Seneca: *Myrmillonem è C. Cæſaris ludo audiui de raritate munerum querentem. Quàm bella, inquit, ætas perit!* Nec gladiatores ſolùm; ſed alebant etiam hiſtriones. & ſcripſit in Alexandri vita Lampridius, *Hiſtriones aulicos eum publicaſſe.* Ab his orti

*Gladiatores fiſcales.*

*Siue Cæſariani, aulicique.*

*Hiſtriones Principum.*

POSTVLATICII gladiatores. Quia enim Cæſariani iſti eximij viribus, arte, ornatu: ſæpe poſtulari à populo ſolent, velut muneris auctarium & ornamentum. Seneca epiſt. VII. *Hos plerique ordinariis & poſtulaticiis paribus præferunt.* Suetonius in Domitia-

*Poſtulari gladiatores ſolent.*

no: *Quæstoriis muneribus, quæ omissa reuocauerat, ita semper interfuit, vt populo potestatem faceret bina paria è suo ludo postulandi, quæ nouissima aulico apparatu induceret.* Ait aulicum apparatum, quod in Gallienis Capitolinus, *gladiatores pompabiliter ornatos, cum auratis vestibus matronarum.* Et credo ornatos eos * auro: præeunte mihi Spartiano in vita Hadriani: *Trecentos noxios cum auratis chlamydibus in arenam misit, ad deridenda eius munera.* Numerum enim ibi duntaxat præter morem fuisse censeam, non vestem. Ad hoc gladiatorum genus referendi hi loci. Suetonij in Claudio cap. XXI. *Palumbum* (ita gladiatori famoso nomen) *postulantibus, daturum se promisit si captus esset.* Calig. cap. XXX. *Cùm Tetrinius latro postularetur, & qui postularent Tetrinios esse ait.* Plinij in Laudatione Traiani: *Impetratum est quod postulabatur, oblatum quod non postulabatur.* Martialis:

*Cùm peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum:*
*Promisit pariter Cæsar vtraque manu.*

Ex quibus etiam discitis, nominatim hunc illúmue gladiatorem flagitari in pugnam solere, siue manu siue scelere notum. Sunt &

*Suetonius explicatus.*

** Vide aliquid in Electis nostris capite XXV.*

## L

CATERVARII inter gladiatores, à modo pugnæ. scilicet cùm non singuli cum singulis, vt moris, sed confusi mixtique pugnant & per cateruas. Scio esse * qui abnuant, quique secus interpretentur: sed à me

*Vulgò, interpretes Suetonij.*



me omnia exempla. Suetonius Caligula: *Retiarij quinque numero gregatim dimicantes.* id est, velut caterua tim. Dio clarissimè de Cæsare lib. XLIII. τὰς δὲ ἄνδρας συνέβαλε μὲν καὶ ἕνα ἑνὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ, ὥσπερ εἴθιστο. συνέβαλε δὲ καὶ ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ πλείους, καὶ ἱππέας ἵππευσι, καὶ πεζὸς πεζοῖς, ἄλλους τε ἀναμὶξ ἀλλήλοις ἴσους. id est: *Viros quidem inter se commisit, vt moris erat, singulos cum singulis: sed tamen etiam maiore numero in Circo confertos dedit, equites cum equitibus, pedites cum peditibus pugnantes: alios verò confusè & permixtim, æquo vtrimque numero.* Iosephus libro VII. Antiquitatum, de Tito, qui Cæsareæ spectaculum dabat: καὶ πολλοὶ τῶν αἰχμαλώτων ἐνταῦθα διεφθάρησαν, οἱ μὲν θηρίοις παραβληθέντες, οἱ δὲ κατὰ πληθὺν ἀλλήλοις ἀναγκαζόμενοι χρήσασθαι πολεμίοις. id est: *Multi è captiuis illic consumpti. alij bestiis obiecti, alij caterua tim & plures, more hostium, depugnare inter se iussi.* Dio iterum in Nerone: πεζὸς ἐχ ὅπως ἕνα πρὸς ἕνα, ἀλλὰ καὶ πολλοὺς ἅμα πρὸς ἴσους συνέβαλεν. Nec ab alia mente Caterua rij Pugiles Tranquillo, in Augusto cap. XLV. Inuenio &

## M

VICTORES, in Plinij XXXVI. cap. XV. de Curione: *Raptísque è contrario repente pulpitis, eodem die Victores è gladiatoribus suis produxit.* Et in lapide veteri. nescio an γνησίως & ab effectu; an cognomine certo, & discernendi causa. HIC. PRIMVS. ET. SOLVS. VICTORES. CAMPANIAE. PRAETIS. ET. AESTIM. PARIA. GLAD. EDIDIT.

Item

M

Item in Plinio

*Consummati gladiatores reiecti.*

CONSVMMATOS. non disertè scriptos, sed eliciunt ex eius verbis lib. VIII. de Elephantis: *Pugnauere postea & singuli Principibus Claudio & Neroni, in consummatione gladiatorum.* At ego abire eos à Plinij mente iudico: nec aliter eum accipio, quàm quasi dixerit, in fine gladiatorij spectaculi. vt elephanti additi fuerint velut corollarium, ad concludendos finiendosque ludos. Possis etiam accipere * consummationem gladiatorum, cùm coniuncti omnes congregatique pugnant, redacti tanquam in vnam summam. Postremò

**Adi Turnebum, lib. XXX. cap. XXXIII.*

*Ordinarij gladiatores.*

ORDINARII gladiatores lecti, qui legitimo tempore, loco, & apparatu inducuntur: à prioribus illis (Postulaticios dico & Cateruarios) diuersi. Seneca nominat epist. VII. & Ordinarios pugiles Sueton. Augusto, cap. XLV. quem eumdem in Caligula videte, cap. XXVI. Vidi & risi qui OBSEQVENTES gladiatores erueret è vita M. Antonini philosophi: *Armauit etiam gladiatores, quos Obsequentes appellauit.* sed enim discat, Spartianum hoc sentire, Marcum in militiam legisse gladiatores, quos ad velandam ignominiam honestè Obsequentes appellauit: sicut & seruos, quos Volones. De Hominibus dixi omnia, vt meæ quidem memoriæ captus fuit. Siquid me præteriit, subiicite.

*Obsequentes, qui apud Capitolinum.*

CAPVT

## CAPVT XVII.

*Ad terminum de Hominibus, vestis adiecta: Togáne fuerit, an Tunica. Item quid Ornamenta.*

DIXISTI sanè quàm accuratè, ait Berchemius; sed quoniam inuitas, velut in scena, monitor ego. De veste & armis ecquid potes plenius? Age, inquit Duza, sit hoc velut auctarium operæ huius. Retiariorum vestem Tunicam dixi fuisse: opinor & aliorum. Certè Dio Commodum vt Secutorem adornans, facit eum prodisse ἐν τῷ χιτῶνι καὶ ἀνυπόδετον, *in tunica & discalceatum.* Suetonius etiam in Claudio notat vt insolens: *Induxit*, inquit, *vnum ex nomenclatoribus suis, sicut erat togatum.* Tamen ecce Tertullianus disertè, de Pallio: *Verùm & cerdones & omnis gladiatorum ignominia togata producitur.* Et Capitolinus in Pertinace de veste Commodi vendita: *Toga*, inquit, *armaque gladiatoria gemmis auroque composita.* Nec facilè compono diuersos; nisi si, labenti æuo, mutata res. Togam certè, cùm in honore & vsu fuit, quis credat fœdatam ministeriis arenæ? De armis non magnoperè habeo quod addam, nisi appellata ea antiquis propriè Ornamenta. Eò moneo, quia titubare, imò labi, video in ea voce viros doctos. Seneca Natural. Quæstion. libro quarto, initio: *Sic ergo formare vt scias te non posse consequi vt sis impenetrabilis: cùm omnia caueris, per ornamenta feriet.* honestissimè à re gladiatoria, id est per ipsa arma. At *æramenta*, ibi mauult vir eruditus. Seneca epistola XIIII. *Ars ei constat, qui per ornamẽta percussus est.* Et Suetonius ecce

*De veste gladiatorum in genere.*

*Tunicatos videri fuisse. quod decuit seruos.*

*At Togatos, ex Tertulliano & Capitolino.*

*Arma, Ornamenta dicta.*

*Stabilita lectio in Seneca*

audentius, ipsos gladios appellat Ornamenta. Titi cap. IX. *Insequenti die, gladiatorum spectaculo, circa se ex industria collocatis, oblata sibi ornamenta pugnantium inspicienda porrexit.* Ille Ornamenta dicit; at Victor in eadem re, *iisque gladios tradidit.* rectè. Tamen in Tranquillo non defuit Beroaldus substituere, *instrumenta.* Vos Festum audite: *Ornatus*, inquit, *dicitur bene aptus, vt miles, aut gladiator, aut acturus fabulas.* Bene Festus: & ad eius mẽtem Plautus: *Ornamenta absunt: Aiacem, hunc cùm vides, ipsum vides.* Ornamenta etiam boum, apud Catonem. De armis, videtur nescio quid mutasse aut potius desitum reuocasse Domitianus. quod Martialis indicat illo Epigrammate:

*Cùm veteres Latiæ ritus renouentur arenæ,*
*Et pugnet virtus simpliciore manu.*

sed indicat tantùm: & ideò nihil elicio certi.

## CAPVT XVIII.

*Finis Duziaci sermonis. Orditur Victor, partiturque. Hoc capite, apparatus & inuitatio, quæ ante diem muneris vsurpata, explicantur.*

SED ego iam portum video. Salue ô optatum mihi Sigæum. Quid ais? inquit Victor. tu vt fileas? vbi quartus ergo terminus de Modo? aut quis eum panget? Illi Duza, Varro opinor olim, Est modus matulæ: sic nobis, mi Victor, fabulæ. Aut si tanta libentia audiendi vobis: agite, Victor ipse mittatur in hoc stadium, cui lampada ego do. Lernutius ridens, Et ego tibi Duza rudem. Bonam strenuamq.

hanc

hanc pugnam pugnasti nobis. igitur ornamenta tua transfer in hunc Victorem. Hem! inquit Victor: hoc est quod olim dicitur, Fabrum cadere cùm ferias fullonem. Duzæ parabam vincula, constringor ipse. Tamen adeste, audite: de Modo modicé dicam, aut potius intra modum. Tria sermonis mei capita, Quid ante pugnam: Quid in pugna: Quid post pugnam. Ante pugnam moris, vt Editor libellos proponeret, in quibus dies futuri muneris, item nomina & paria gladiatorum: scilicet alliciendæ plebi, & exspectationi commouendæ. Id vocabant Pronuntiare munus. Suetonius in Iulio: *Munus populo pronuntiauit in filiæ memoriam.* Ostendere munus. Cicero: *Etsi munus flagitare, quamuis quis ostenderit, ne populus quidem solet nisi concitatus.* Proponere munus. Suetonius in Tito: *Omnes tanta comitate tractauit, vt proposito gladiatorio munere, non ad suum sed ad spectantium arbitrium editurum se professus sit.* Ad has edictiones Senecæ locus facit, de Breuitate vitæ: *Itaque ad occupationem aliquam tendunt, & quidquid interiacet, graue est: tam mehercules quàm quando dies gladiatorij muneris dictus est, transire medios dies volunt.* Quin & Edicta vocat, epistola CXIX. *Nemo qui parturienti filiæ obstetricem accersit, edictum & ludorum* ordinem perlegit.* Edicebant autem describebantque futurum munus in libellis. Ita Cicero vocat Philippica II. *Quid de Commentariis infinitis? quid de chirographis loquar? quorum etiam imitatores sunt, qui ea tanquam gladiatorum libellos palam venditent.* Nec enim placet referri ad libellos, in quibus Lanistarum dictata. Potius ad libellos indi-

*Vltimus limes de modo.*

*Victori dicenda.*

*Libelli gladiatorij.*

*Pronuntiare munus.*

*Ostendere.*

*Proponere.*

*Edicta, & edicere diem.*

* *quia paria descripta ordine & totus apparatus.*

*Libelli gladiatorum.*

*Cicero explicatus.*

ces ludorum, quos vendebant describebantque palàm, vt in prouincias mitterent & ad amicos absentes. Nec alium libellum Cælius Ciceroni miserat meritus eius notam, lib. 11. epistolar. ad Familiares: *Quid? tu me hoc tibi mandasse existimas, vt gladiatorum compositiones, & vadimonia dilata ad me mitteres?* Libellum munerarium adpositè vocat Pollio, in Claudio: *At ego scio sæpius inter gladiatores bonis pugnatoribus Aureoli nomen appositum. Habuit proximè tuus libellus munerarius hoc nomen in Indice ludorum.* Allusit & explicuit comiter bonus Seneca (patrem dico) lib. 1111. Controu. *Quod munerarij solent facere ad exspectationem populi detinendã, qui noua paria per omnes dies dispensant, vt sit quod populũ & delectet & reuocet: hoc ego facio: non omnes simul produco. aliquid noui semper habeat libellus.*

*Picta tabula gladiatorũ.* Nec verò in libellis solùm pronuntiatio hæc munerum: sed etiam in tabulis & pictura. Pingi, inquam, iubebant habitum formamque pugnantium gladiatorum, item loci, muneríque totius. Plinius seriò notat libro xxxv. *Pingi*, inquit, *gladiatoria munera atque in publicum exponi cœpta à C.* Terentio Lucano. Is auo suo triginta paria in foro per triduum dedit, tabulamque pictam in nemore Dianæ posuit.* Apud Horatium lib. 11. Satyra v 11. eleganter Dauus:

*Quando primùm.* **Est ille cuius mentio Donato in vita Terentij: et cui poëta is libertus.* *Horatius illustratus.*

*Vel cum Pausiaca torpes insane tabella,*
*Qui peccas minus atque ego, cùm Fului Rutubique*
*Aut Placideiani, contento poplite miror*
*Prœlia, rubrica picta aut carbone? velut si*
*Reuera pugnent, feriant, vitentque, mouentes*
*Arma viri.*

vbi gra-

LIB / Z / CAP 19 /

vbi graphicè videtis formam eiusmodi tabularum. Illud autem, *Contento poplite*, habitum nimirum exprimit pugnantium gladiatorum: ne ad seruum ipsum referatis, cum interpretibus læuis. De his picturis Trebellium capio in Vita Carini: *Memorabile maximè Carini & Numeriani hoc habuit imperium, quòd ludos Romanos nouis ornatos spectaculis dederunt, quos in Palatio circa porticum stabuli pictos vidimus.* Vbi nescio an restituenda *Porticus Statilij*. Idemque in Venatione seruatum esse ex Capitolino discere est, in Gordianis: & hodie seruant nostri in isto Battualium ludicro, quod Gladiatorium vocant, etsi prisci illius vix vmbram.

*Et Trebellius Pollio.*

*Fortasse & emendatus.*

## CAPVT XIX.

*Quæ ipso die facta: & tamen ante pugnam. Pompa, traductioque. compositiones, & ostensio ornamentorum. Prælusio, hastis, rudibus, armis. Tubæ cantus, & Versa arma.*

HAEC ante muneris diem. At die ipso, gladiatores ordine deduci in Arenam mos fuit, & inibi solemni quadam pompa circumduci. Quinctilianus: *Jam dies aderat, iam ad spectaculum supplicij nostri populus conuenerat, iam ostentata per arenam perituro rum corpora mortis suæ pompam duxerant.* Ad quam traductionem accommodo illud Capitolini in M. Antonino: *Faustinam quondam cùm gladiatores transire vidisset, vnius ex his amore succensam.* Postquam introducti, paria inter se componebantur, siue vt Græci decenter

*Pompa gladiatorum.*

decenter appellant, ζεῦγη. Componere dixi. ita enim loquebantur. Plinius pulcherrimè de occulta quorundam animalium discordia lib. VIII. cap. XII. *Quam quis aliam tantæ discordiæ causſam adtulerit, niſi naturæ ſpectaculum, ſibi paria componentis?* Vbi melius liber vetus, *niſi naturam, ſpectaculum ſibi ac paria componentem.* Etiam, Comparare. Quinctilianus: *Cùm me vna tamen res apud quoſdam faceret miſerabilem, quòd viderer iniquè comparatus. Certa enim arenæ deſtinabar victima. nemo munerario vilius ſteterat.* Item Committere. cuius verbi ſæpe exempla. In hac compoſitione prima Editoris cura, vt pares cum paribus confligerent. Atque adeò id volebant ipſi Gladiatores. Seneca alibi: *Ignominiam iudicat gladiator cum inferiore componi: & ſcit eum ſine gloria vinci, qui ſine periculo vincitur.* Lucanus libro IIII.

*Compoſitio, & Componere.*

*Plinius emẽdatus.*

*Comparare.*

*Committere.*

*Pares inter ſe commiſſi.*

——*veluti fatalis arenæ*
*Muneribus, non ira vetus concurrere cogit*
*Productos: odêre pares.*

Et benè, productos: quia id quoque arenæ huius verbum. Seneca de virtute loquens: *Produci enim illi & tentari expedit: nec vlli intelligunt, quanta ſit, quàm qui vires eius laceſſendo ſenſerunt.* Poſt comparationem, credo, gladij armaque quibus pugnaturi, Munerario oſtendebantur: explorandi cauſſa, & an ſatis acuti. Suetonius Tito: *Ceterùm ipſos non ſolùm familiari cænæ adhibuit, ſed & inſequenti die, gladiatorum ſpectaculo, circa ſe ex induſtria collocatis, oblata ſibi ornamenta pugnantium inſpicienda porrexit.* Nam Titus ipſe tunc Editor. Victor de eodem facto, *petiiſſe eum gladium dicit,*

*Ornamenta inſpiciebãtur*

dicit, *quasi ad explorandam aciem.* Dio clarissimè in Nerua: *Collocauit eos in spectaculo quodam iuxta se, ignaros quòd proditi essent: iisque gladios tradidit, in speciem quidem vti diiudicarent an satis acuti essent (quod fieri solet:) reuera vt ostenderet parum se sollicitum, si vel statim interficeretur.* Facit ad hunc inuulgatum adhuc ritum, quòd Dio idem scribit gladios acutissimos * Drusianos vulgò vocatos: videlicet quia crudelis ille & cruentus editor acutissimos eos semper exigebat. Contrà leniissimus Marcus Imperator, qui vt Dio ait, ὅπω τὸ φόνοις ἐκ ἔχαιρεν, ὥστε καὶ τὰς μονομάχους ἐν τῇ Ρώμῃ ὥσπερ ἀθλητὰς ἀκινδύνως ἐώσα μαχομένας. σιδήριον γὰρ ἀδέποτε ἀδενὶ αὐτῶν ὀξὺ ἔδωκεν, ἀλλὰ καὶ ἀμβλέσιν ὥσπερ ἐσφαιρωμένοις πάντες ἐμάχοντο. *adeò à cæde abhorruit, vt & gladiatores Romæ, tamquam athletas, sine periculo aut noxa, pugnantes cerneret. Ferrum enim acutum nemini eorum commisit, sed obtusis & velut orbiculatis gladiis omnes pugnabant.* Interpellauit hîc Lernutius, Heus tu, inquit, longum hoc tuum anteloquium: pugnam ipsam videre aueo. iam committe. Mane etiam, inquit Victor: præluso præmittenda est. Viden' tu illos qui arte quadam iaciunt hastas? viden' qui velut feriunt gladiis? Puræ à ferro illæ hastæ, obtusi gladij. denique proludunt, & eludunt. Prælusionis diem Symmachus appellat lib. 11. epistol. de canibus: *Quos prælusionis die ita Roma mirata est, vt ferreis caueis putaret aduectos.* Sed ille de Venatione aut Circensibus: at propriè de Gladiatoribus, Cicero de Oratore: *Sed si in illoipso gladiatorio vitæ certamine, quo ferro decernitur, tamen ante congressionem multa fiunt, quæ non ad vulnus*

* *Vide & coniunge quæ scripsi ad lib. 11. Annal. Taciti.*

*Præluso, siue prolusio. Dies prælusionis, qui præmissus legitimo certamini.*

*ſed adſpeciem valere videantur, quanto hoc magis in oratione exſpectandum eſt?* Vbi ſcripſerim, *in illoipſo gladiatorio vili certamine.* Præluſio autem in Haſtis, Rudibus, Armis. De haſtis, Cicero in iiſdem libris: *Atque eiuſmodi illa præluſio eſſe debet, non vt Samnitium qui vibrant haſtas ante pugnam, quibus in pugnando nihil vtuntur.* Iterum idem: *Et ait cùm brachium concalfecerit, tum ſe ſolere pugnare. neque attendit eosipſos* (gladiatores intellegit) *vnde hoc ſimile ducit, illas primas haſtas ita iactare leuiter, vt & venuſtati vel maximè ſeruiant, & in reliquum viribus.* Hos Pilarios & Ventilatores Quinctilianus appellat: *qui ea quæ emiſerant ita librabant, vt venire in manus viderentur, quáque iuberentur decurrere.* De rudibus, Eumenius Rhetor in ea quæ De inſtaurandis Mœnianis: *Neque enim tanta me aut negligentia aut confidentia tenet, vt neſciam quanta ſit inter hanc aciem fori, & noſtra illa ſecreta ſtudiorum exercitia diuerſitas. Ibi armantur ingenia, hîc præliantur: ibi præluſio, hîc pugna committitur: hîc plerumque velut ſudibus & ſaxis, illîc ſemper telis ſplendentibus dimicatur.* Nec enim ambigo quin reſcribendum *rudibus & haſtis.* Vnde enim ibi ſaxa? Et hanc correctionem, amici, imputo hodie vobis. Ouidius III. De arte:

*Sic vbi præluſit, rudibus puer ille relictis*
*Spicula de pharetra promit acuta ſua.*

Tertullianus oculos hîc habuit, dum ſcripſit aduerſus Valentinianos: *Congreſſionis luſionem deputa lector, haud pugnam: oſtendam, ſed non imprimam vulnera.* Appellabant hæc luſoria tela. Seneca: *Remoue iſta luſoria arma, decretoriis opus eſt.* Item lib. II. Quæſt. Natural.

*Haſtis præludebant.*

*Pilarij.*

*Rudibus præludebant.*

*Eumenius correctus.*

*Luſoria tela.*

*Illos*

*Illos verò viros altissimos error iste non tenuit, vt putarent Iouem modò leuioribus fulminibus, & luforiis telis vti.* Exercitoria tela, alibi * Tertullianus. E contrà, vera & acuta tela, Decretoria: vt in verbis Senecæ iam dictis. Credo ideò, quia hæc velut decreto Prætoris siue Editoris dabantur, postquam inspecta acriter & probata. Hinc obscuriores illæ metaphoræ lucem accipient in eodem Seneca: vt lib. 1. De Clementia: *Nisi plus est quod timet quàm quod damnat, non accedet ad decretorium stilum.* Et Epistola CIII. *Intrepidus horam illam decretoriam prospice.* Eadem arma dixêre &, Pugnatoria. Suetonius in Caio: *Batuebat pugnatoriis armis.* Significat enim eum omissa rudi, vsum gladio vero. Non aliter quàm Commodus, *qui gladiatores, specie depugnandi, crebrò trucidauit, cùm ipse ferrum obiectum veronibus plumbeis veteretur,* ait Aurelius Victor. quem locum vexant variè viri docti. Restituo ego, *ferro obtecto veronibus plumbeis.* Hæc sanè scriptoris cognominis mihi mens, mala fraude pugnasse Commodum: & velut luforiis armis veteretur, vsum veris. Ferrum enim obduxisse duntaxat laminis è plumbo: cùm gladium ipsum putarent esse è plumbo. Sed redeo ad rem. Pugnatorium mucronem Seneca pater dixit lib. 11. præfatione: *Deerat illis oratorium robur, & ille pugnatorius mucro.* Addidi etiam armis eos præluisse: & rem dixi. Nam parmas aut clypeos in altum iaciebant, recipiebántque cum venustate. Martialis lib. 1x.

*Depœnitentia.*

*Pugnatoria arma.*

*Aur. Victor explicatus & emendatus.*

*Armis præluere.*

*Summa licet velox Agathine pericula ludas,*
*Non tamen efficies vt tibi parma cadat.*

*Nolentem sequitur, tenuésque reuersa per auras*
*Vel pede, vel tergo, clune, vel vngue sedet.*
*Vt peccare velis, cùm feceris omnia, falli*
*Non potes. arte opus est, vt tibi parma cadat.*

*Ventilare.*

Nec parmas solùm, sed & hastas, vt prædixi: fortasse & gladios. Id vocabant propriè Ventilare. Seneca pater lib. III. Controu. *Deinde res ipsa diuersa tota est: aliud est ventilare, aliud pugnare.* Seneca filius Epistola CXVIII. *Quàm stultum est, cùm signum pugnæ acceperis, ventilare?* Martialis:

*Currit, & in toto ventilat arma boue.*

Plinius etiam elephantes doctos ad hanc præludionem ostendit. *Vulgare erat,* inquit, *per auras arma iacere, non auferentibus ventis, & gladiatorios inter se edere congressus.* Hoc ergo, Præludere: at cùm desierint, dicuntur eludisse, aut deludisse. Cicero de Isocrate: *Non enim in acie versatur, & ferro: quasi rudibus eius eludit oratio.* Nec absimili notione *Litus* definiebat Aquilius *quà fluctus eluderet.* id est, ludere desineret. Plinius Deludere dixisse videtur, lib. XXXVII. *Luxatis potus medetur, vt licet videre gladiatores, cùm deluserunt, hac iuuari potione.* Auditisne iam, amici, has tubas? signum commissionis sunt & veræ pugnæ. Ideò Apuleius tubam terminalem appellat, quia primitias & ludicra certaminis finiret terminarétque. Libro X. *At vbi discursus reciproci multinodes ambages tubæ terminalis cantus explicuit.* Virgilius:

*Eludere, siue Deludere.*

*Tuba signo ludi commissi*

*Tuba terminalis.*

*At tuba commissos medio canit aggere ludos.*

Quinctilianus in Gladiatore: *Sonabant clangore feruli tubæ.* Statius in Siluis:

*Iam*

*Iam placidæ dant signa tubæ.*

Nec alterius sententiæ illud Satyrici —*dignissima prorsus Florali matrona tuba.* id est, digna quæ commissione Floralium producatur. Idque in omnibus ludis factitatum, etiam scenicis. Seneca epist. LXXXV. *In comessationibus* (emendo clarè, *commissionibus*) *nostris plus cantorum est, quàm in theatro olim spectatorum fuit. cùm omnes vias ordo canentium impleuit, & cauea æneatoribus cincta est,* &c. Æneatores enim, Tubicines. Plinius lib. 11. epistolar. *Qui numquam castra viderunt, numquam tubarum sonum nisi in spectaculis audierunt.* Iuuenalis de senum incommodis:

*Seneca emendatus.*

*Quid refert magni sedeat qua parte theatri*
*Qui vix cornicines exaudiat atque tubarum*
*Concentus?* ——

Seneca hoc signum pugnæ intellexit: *Quàm stultum est, cùm signum pugnæ acceperis, ventilare?* Direpta ergo Prælusione, abiectísque lusoriis armis, transibant ad vera. Atque hoc est quod *Dimicare ad certum* Tertullianus alibi vocat. Appellabant id etiam, pugnare versis armis. Caper litterator: *Inuersis armis pugnasse gladiatores non est dicendum, sed versis, id est transmutatis. sic non inuersis * pannis agitasse aurigas, sed versis.* Plauti versum è Cassina illustrabit hæc nota:

*Versis armis pugna.*

* *Cùm pānos sumebant alterius coloris: puta pro russato Venetum.*

—— *ita rem natam intellego*
*Necessum est vorsis gladiis depugnarier.*

Nec enim aliud in ea armorum versione esse, facilè persuadeor Ouidij versu De arte:

*Plautus explicatus.*

*Ponite iam gladios hebetes, pugnetur acutis.*

Aliâs ſuſpicari poſſimus, ſiquis à genere ad genus alterum tranſeat, puta à Secutore ad Retiarium, dici eum pugnare verſis armis. At placet prius. etſi in Plauti verſu ſaliuam etiamnum mihi mouet mea olim diuinatio, *veris gladiis*.

*Inſere figuram. in qua tu, Lector, ſcito quædam à pictore eſſe ad rem ſubiiciendam oculis, non à veritate. vt oſtiolum antè Editorem, gradus in arenam: quia reuera per alios interiores aditus delati gladij & arma in Orcheſtram.*

CAPVT

## CAPVT XX.

*Pugnæ ipsius descriptio. In statu stabant. petebant, repetebant. Exibant, excedebant. Latus tegebant.*

QVAESO oculos mihi nunc date & aures. Pugnam vobis ostendam: sed cum Ioue Homerico in monte sitis, & extra teli iactum. Ecce componunt se gladiatores & colligunt in arma: deus bone, quanta arte curaque, sui defendendi, alterius petendi! Nec mirum. *Gladiatori enim composito ad pugnandum* (ait Agellius) *hæc proposita sors est: aut occidere, si occupauerit; aut occumbere, si cessauerit.* Hanc ex arte posituram, vocabant Statum. Petronius de anu: *Statum præliantis componit.* Plautus facetè, vt solet, allusit Milite:

*Modus gladiatorius pugnæ.*

*In statu stare.*

——— *in statu stat senex*
*Vt adoriatur mœchum qui forma est ferox.*

Quadrigarius in singulari certamine Galli cum T. Manlio: *Ita vt antè dixi constiterunt. Gallus sua disciplina, scuto proiecto, cantabundus* (malim, *cautabundus* quasi vitabundus.) *Manlius animo magis, quàm arte confisus, scutum scuto percussit, atque statum Galli conturbauit. Gallus dum se iterum eodem pacto constituere studet, Manlius iterum scutum scuto percutit, atque de loco hominem proiecit.* Vbi videtis curæ iis fuisse atque adeò laudi, mansisse in statu. Laberius:

*Quadrigarius correctus apud Agellium.*

*Quem nulla ambitio, nulla vnquam largitio*
*Mouere potuit in iuuenta de statu.*

Imò nec læsi deserebant. Seneca Consolatione ad Polybium: *Omnes scient quomodo te in isto gesseris vulnere,*

*nere, vtrúmne ſtatim percuſſus arma ſubmiſeris, an in ſtatu & in gradu ſteteris.* quem locum tentant fruſtrà. Idem enim eſt, Stare in gradu. Seneca: *Quorum alter vulnus premit, & conſtat in gradu.* Lucanus, ſiue quis alius auctor Poëmatij ad Piſonem:

*In gradu ſtare.*

*Arma tuis etiam ſi fortè rotare lacertis,*
*Jnque gradu clauſis libuit conſiſtere membris,*
*Et vitare ſimul, ſimul & captare petentem.*

*Correctus Lucanus.*

Ita malo prorſus, quàm vt edunt, *Inque gradum.* Hinc apud Tertullianum: *De gradu pellere*, aduerſus Marcionem: *Cedere de gradu*, Præſcriptione aduerſus Hæreticos: *Conſtruere gradum*, Apologetico. Cicero etiam ab hoc gladiatorio more elegantem metaphoram plus ſemel vſurpat, Deiici, deturbari, de ſtatu animi, ſtatu mentis: & reſtituēdam in Oratore eius ad Brutum (libro, qui non legendus iuuentuti, ſed ediſcendus) cenſeo: *Quo genere nos mediocres, aut multò etiam minus: ſed magno ſemper vſi impetu, ſæpe aduerſarios de ſtatu animi deiecimus.* Sic eligam, præ vulgata, *de ſtatu omni.* Certè hoc Cicero voluit, & accommodat ad Hortēſium, Catilinam, Curionem, quibus vis illa dicendi linguam imò mentem eripuit. Cùm hoc modo igitur paria in ſtatu: petebat alter, vitabat alter. Petebat dico. ita enim propriè: & ictus ipſi, Petitiones. Seruius ad illud Virgilij, *Volſcentem petit, in ſolo Volſcente moratur, Petitiones*, inquit, *propriè dicimus impetus gladiatorum.* Cicero in Catilinam: *Quot ego tuas petitiones, ita coniectas vt vitari nullo modo poſſent, parua quadam declinatione, & vt aiunt,* * *corpore, exceſſi?* Idem in Oratore: *Vt enim athletas, nec multo ſecus gladiatores, videmus*

*Coniectura in Cicerone.*

*Petere, & Petitiones.*

* *Vt Prudentius interpretatur, lateris ſinuamine*



LIB. 7. CAP. 20. 21. 22.



*demus nihil nec vitando facere cautè, nec petẽdo vehemẽter, in quo non motus hic habeat palæstram quandam: sic oratio neque plagam grauem facit, nisi petitio fuerit apta.* Videntur etiam appellasse conatus inuasionésque singulas, Manus. Quinctilianus lib.v. cap.XIIII. *Vt gladiatorum manus quæ secundæ vocantur, fiunt & tertiæ, si prima ad euocandum aduersarij ictum prolata erat: & quarta, si geminata captatio est, vt bis cauere, bis repetere oportuerit.* Idem lib.IX. cap.I. *Nam vt in armorum certamine aduersos ictus & rectas manus cùm videre tum etiam propulsare facilè est, auersæ tectæque minus sunt obseruabiles: sic oratio,* &c. Nec diuersa multum ratione Seneca dicit, Manum mittere, epist. VII. *Nunc nihil habent quo tegantur, totis corporibus ad ictum expositi. numquam frustrà manum mittunt.* Paullò aliter Apuleius lib.IIII. *Gladiatores illi famosæ manus, venatores isti probatæ pernicitatis.* Significat enim veteres gladiatores, & quorum dextræ non vna cæde imbutæ. Magis conuenit, quòd in ludo aleæ singulos iactus siue missus, ratione simili appellarunt Manus. Augustus in epist. apud Tranquillum: *Nam si quascumque manus remisi, exegissem.* Petere igitur, arenæ verbum. etiam Repetere. Ita appellabant geminare ictum. Lactantius: *Percussos iacentésque repeti iubent.* In Quinctiliani verbis suprà, *Vt bis cauere, bis repetere oportuerit.* Inde natum in Caligulæ cæde symbolum: de quo Tranquillus: *Iacentem contractísque membris clamitantem se viuere, ceteri vulneribus triginta confecerunt. Nam signum erat omnium, Repete.* Hæc inuadendi verba; at vitandi cauendique, Exire. Virgilius:

*Manus gladiatoria.*

*Manus aleatoria.*

*Repetere.*

*Tranquillus lux data.*

*Exire.*

*Corpore tela modò atque oculis vigilantibus exit.*

Manilius:

*Ille cito motu rigidos eludere cestus*
*Nunc exire leuis missos.*

*Excedere.* Etiam Excedere. Cicero: *parua quadam declinatione, & (vt aiunt) corpore excessi.* Prudentius idipsum, vti *Ludere.* & Manilius, Ludere vel Eludere dixit:

*Nam si nostra fides sæclo iam tuta quieto,*
*Viribus infestis hostiliúque arte petita est:*
*Cur mihi fas non sit, lateris sinuamine flexi*
*Ludere ventosas iactu pereunte sagittas?*

Vbi ambigo, num, *Sarissas*, melius. præcessit enim, iactu: hastæ autem iaciuntur pilaque, non sagittæ. Tamen in Prudentio verborum non tam acer dile- *Latus tegere.* ctus. In vitando præcipua cura, vt latus tegerent. Apud Terentium elegantissimo Mureto admonente iam innotuit: *Liceat modò tecto latere discedere.* Seneca libro IIII. Quæst. Natural. *A turba quantum potes te separa, nec adulatoribus latus præbeas.* Et latus certè aduersarius maximè petebat. Ammianus: *Seque in modum myrmillonis operiens, hostium latera, quæ nudabat ira flagrantior, districtis mucronibus perforabat.* Nec rarum erat, vt cùm plura paria pugnarent, vulneraretur *Per latus alterius peti.* quispiam per alterius latus. A qua mente Ciceronis illud Interrogatione in Vatinium: *Omnia mea tela sic in te coniicientur, vt nemo per tuum latus, quod soles dicere, saucietur.* Et Liuius lib. XL. *Vt à me cœptum scelus in me finem habeat, nec per meum latus tu petaris.*

*Insere hic de pugna ipsa figuram: quæ etiam caput sequens tangit.*

CAPVT

## CAPVT XXII.

*Clamor ad vulnus, Hoc habet. Læsi supplicabant, & arma submittebant. populum, editores, orabant. si is vellet, mittebantur. Quid missio, & pugna sine missione.*

ET cum exclamatione subita hîc Victor: En, en, inquit. Hoc habet. Nos commoti, Quid sibi hic clamor vult? inquimus. Non etiam videtis? inquit. læsus est, cecidit Birria. Vox ea propria insultantis aduersarij, aut acclamantis vulgi. Virgilius: *Hoc habet, in vulnere dictum.*

——*teloque orantem multa trabali*
*Desuper altus equo grauiter ferit, atque ita fatur*
*Hoc habet: hæc magnis melior data victima diuis.*

Prudentius meus Psychomachia:

*Tunc exarmatæ iugulum meretricis adacto*
*Transfigit gladio: calidos vomit illa vapores.*
*Hoc habet, exclamat victrix regina.*

Simpliciter etiam, Habet. Seneca in Tragœdiis:

*Habet, peractum est: quas petis pœnas dedit.*

Idem:

*Habet, peractum est: fata se nostra explicant.*

Et apud eumpse pluriens. Nec alius sanè clamor est, quem Augustinus indicat lib. VI. Confess. cap. VIII. vbi de Alypio. Læsi autem gladiatores & mortis metuentes, submittebant arma. Id signum victi fractique. Seneca De prouidentia: *Quid ego istum aduersarium mihi sumam? statim arma submittet. non opus est in illum tota potentia mea: leui comminatione pelletur.* Nec ideò tamen liberi. à nutu populi pendebat mors eorum vel salus. Horatius: *Submittere arma.* *Populus exorari debebat à gladiatoribus.*

*Ne populum* extrema toties exoret arena.*

*Quia rogaturi admouebant se spectaculis, unde audiri possent. Editores etiã rogati.*

Seneca: *Gladiatoribus licet arma submittere, misericordiam populi tentare; tu neque submittes arma, nec vitam rogabis. recto tibi inuictoque moriendum est.* Idem epist. CVIII. allusit: *Non faciam quod victi solent, vt prouocem ad populum.* Siue etiam ab Editoris. Cicero II. Tuscul. *Mittunt etiam vulneribus confecti ad Dominos, qui quærant quid velint. si iis satisfactum non sit, se velle decumbere.* Dio in Caracalla, cum insectatione sæuitiæ eius: ἀγῶνα μονομαχίας ἐν Νικομηδείᾳ ἐπὶ τοῖς ἑαυτοῦ γενεθλίοις ἐποίησεν. ἔνθα λέγεταί τινα τῶν ἐπιτηδείων τινὸς καὶ ἱκετεύοντος αὐτὸν ὅπως σωθῇ, τὸν Αντωνῖνον εἰπεῖν, Ἄπελθε, καὶ τῷ ἀντιπάλῳ δεήθητι. id est: *Munus Nicomediæ præbuit die suo natali. in quo ferunt victum quempiam è gladiatoribus supplicasse Antonino vti seruaretur. illum respondisse, Abi & * aduersario tuo supplica.* Nam Antoninus ibi Editor. Quanquam reuera Imperatori, cùm præsens, semper ius liberandi. Quinimò & solo * superuentu suo: nisi fallunt me Ouidij verba, de Ponto:

** Atqui aduersario nullum seruandi ius. Ideò re ipsa negantis hoc respõsum.*

** Ad exemplum credo Vestaliũ qua casu obuia protollebant noxiorum pœnam.*

*Cæsaris aduentu, tuta gladiator arena*
*Exit, & auxilium non leue vultus habet.*

*Quid Missio propriè. Discrimen inter eam & Rudem.*

Hæc liberatio, Missio dicta. Non enim audio viros eruditos, qui cum Rude confundunt. Errare eos scio tota via. Missio ad victos pertinebat: Rudis ad victores. Illius effectus, vt ab imminenti periculo, & in eum diem dumtaxat liberarentur: huius, vt ætatem. Martialis: *Nuper cum Myrino peteretur missio læso.* Mittebantur ergo læsi. Itaque sine missione dare gladiatores, & sine missione pugna; non aliud, quàm ad certam mortem dari, nisi vincas: ius non esse, vulneratos

*Sine missione dare gladiatores.*

ratos ſupplicéſque liberandi. Satis clarè vim eius verbi expreſſit Liuius de Perſeo, lib. XLI. *Deinde ſæpius gladiatores dando, & modò vulneribus tenus, modò ſine miſſione etiam.* & Florus de pugna cum Spartaco: *Tandem eruptione facta, dignam viris obiere mortem, &, quod ſub gladiatore duce oportuit, ſine miſſione pugnatum eſt.* Nec video quid iis locis poſſit opponi. nō item quid huic Senecæ: *Abſciſſa miſſione gladiator, quem armatus fugerat, nudus inſequitur.* Non enim certè hîc de Rude. & Senecæ mentem ſatis illuſtrarunt ſub Caio *quinque retiarij, qui totidem ſecutoribus ſuccubuerant: cumque iuberentur occidi* (id eſt, abſciſſa miſſione) *vnus reſumpta fuſcina omnes victores interemit.* Hinc illud Auguſti decretum, qui *Gladiatores ſine miſſione edi prohibuit.* ait Tranquillus cap. XLV. Clementer. quoniam reperti ſæui munerarij, qui omnes dabant in certam mortem. Qualem fuiſſe credimus Domitium auum Neronis, qui *Munus gladiatorium edidit* (verba Suetonij ſunt, Neronis cap. III I.) *tanta ſæuitia, vt neceſſe fuerit Auguſto clam fruſtrà monitum edicto coërcere.* Et ſuſpicer hoc ipſum edictum eſſe, quo vetiti dare ſine miſſione. De hac miſſione Quinctilianus in Gladiatore: *Quas ego illius preces? quàm pertinaces lacrimas? quàm miſerabilem obteſtationem vidi? nemo vnquam ſic rogauit miſſionem.* Idem: *Nec difficilem tamen ſub illo præſertim auctoramento habuiſſet miſſionem, ſed noluit gladiator viuere.* Ad hanc etiam refero, non ad militarem, variè & decenter tranſlata ſcriptorū loca, vt Senecæ: *Quid porrò prodeſt paucos annos vel dies lucrifacere? ſine miſſione naſcimur.* Apuleij lib. II. vbi nequiſſima feminarum,

*Vetuit id? Auguſtus.*

*Tranſlata ea dictio ad res alias.*

*Hodierna pugna*, inquit, *non habet miſsionem.* & in ſimili nequitia illud Petronij: *Donec Quartilla ballenatiam tenens virgam, alteque ſuccincta, iuſsit infelicibus dari miſsionem.* Eiuſdem: *Inhibuitque Tryphæna tam grande facinus, non diſsimulata miſsione.* Sed imprimis elegãs Martialis epigramma, quod in Catalectis vulgauit Ioſ. Scaliger, anteà publicè nõ viſum: quod totum ſubiicio libens illuſtrandæ huic rei.

*Cum traheret Priſcus, traheret certamina Verus,*
*Eſſet & æqualis Mars vtriuſque diu.*
*Miſsio ſæpe viris magno clamore petita eſt.*
*Sed Cæſar legi paruit ipſe ſuæ.*
*Lex erat, ad digitum* poſitam concurrere palmam.*
*Quod licuit, lances, donaque ſæpe dedit.*
*Inuentus tamen eſt finis diſcriminis æqui.*
*Pugnauere pares: ſuccubuere pares.*
*Miſit vtriſque rudes, & palmas Cæſar vtriſque.*
*Hoc pretium virtus ingenioſa tulit.*
*Contigit hoc nullo, niſi te, ſub Principe, Cæſar:*
*Quum duo pugnarent, victor vterque fuit.*

* Poſita conc. palma.

Vbi tamen quid ſit, *ad digitum concurrere*, capio potius quàm explano.

## CAPVT XXII.

*Populus moderator & arbiter horum ludorum. Intercedebat. interficiebat motu pollicis. Ferrum recipere iubebantur proſtrati: qui non vno ictu interficiebantur. Manum mittebant in vulnus. Poſtremò Libitina in Amphitheatris.*

POPVLI ergo, vt videtis, in arena præcipuum ius: & ad eius voluntatem Domini plerumq. ſe conformabant.

formabant. Intercedebat pro victis læsisque. Seneca de Tranquillitate lib. 11. *Quæris quid inter duos interfit? quod inter gladiatores fortissimos. quorum alter premit vulnus, & constat in gradu: alter respiciens ad clamantem populum significat nihil esse, & intercedi non patitur.* Interfici iubebat idem. Signum, conuersus pollex. Iuuenalis: *Populus intercedebat.* *Idem occidi iubebat.* *Pollicem vertere.*

*Munera nunc edunt & verso pollice vulgi*
*Quemlibet occidunt populariter.*

Prudentius, de Vestalibus:

*——consurgit ad ictus*
*Et quoties victor ferrum iugulo inserit, illa*
*Delicias ait esse suas, pectúsque iacentis*
*Virgo modesta iubet conuerso pollice rumpi.*

Poëta vetus ἀνώνυμος:

*Sperat & in sæua victus gladiator arena,*
*Sit licet infesto pollice turba minax.*

Hoc Tranquillus dixit, infestis spectatoribus dimicare, in Iulio cap. xxvi. *Gladiatores notos, siquibi infestis spectatoribus dimicarent, vi rapiendos seruandósque mandabat.* Caussa huic maleuolæ notæ à contrario prouerbio in fauore pollices premendi. quod apud Plinium Horatiumque. Ceterùm in quos fauor populi, in quos odium inclinare solitum: discite ab his exemplis. Cicero pro Milone: *Etenim si in gladiatoriis pugnis timidos & supplices, & vt viuere liceat obsecrantes, etiam odisse solemus: fortes & animosos & se acriter ipsos morti offerentes, seruari cupimus.* Seneca de Ira lib. 1. *Quid gladiatoribus quare populus irascitur, & tam iniquè vt iniuriam putet quòd non libenter pereunt? contemni se iudicat,* *Pollices premere.* *Audacia & constantia gladiatorum accepta populo.* *Ignauia, odio.*

*iudicat, & vultu, gestu, ardore, de spectatore in aduersarium vertitur.* Et bene furorem hunc Quiritium tangit Lactantius lib. v i. *Quæro nunc an possint pij & iusti homines esse, qui constitutos sub ictu mortis ac misericordiam deprecantes, non tantùm patiuntur occidi, sed efflagitant. Irascuntur etiam pugnantibus, nisi celeriter è duobus alter occisus est.* Exhorruimus in hac commemoratione, & Heu sæuitiam! inquit Duza: supra fidem meam, nisi fidos dares auctores. Certa Duza res, inquam ego. sed meo voto, Vtinam illi Busirides omnes vnũ oculum habuissent! Sed nos spectemus etiam. Dic Victor. Iterumque Victor: Post hæc ergo, inquit, suffragia vulgi, si alba quidem fauénsque sententia; miser ille mittebatur, sed in eum diem aut id Munus dumtaxat, vt censeo. sin funesta, boni gladiatoris erat decumbere, & libenter fortiterq. recipere ferrum. Id enim imperabatur, Recipe ferrum. Cicero pro Sextio: *Ipsum verò quid accusas? num defuit gladius? num repugnauit? num, vt gladiatoribus imperari solet, ferrum non recepit?* Iis verbis subiecta vis; vt iugulum vltrò præberent; ne membra contraherent; ne manum opponerent. Mira firmitas, si in re bona seriaque. Seneca epistola xxx. *Mors enim admota, etiam imperitis animum dedit non vitandi ineuitabilia. Sic gladiator tota pugna timidissimus, iugulum aduersario præstat, & errantem gladium sibi attemperat.* Cicero prorsus graphicè totam rem depinxit in Tusculana secunda: *Quis mediocris gladiator non modò stetit, verumetiam decubuit turpiter? quis cùm decubuisset, ferrum iussus recipere, collum contraxit?* Seneca iterum, De Tranquillitate: *Fortuna*

*Recipere ferrum.*

*illa*

*illa quæ ludos sibi facit, quo, inquit, te seruem malum & trepidum animal? eò magis confodieris & conuulneraberis, quia nescis præbere iugulum. Viues tutius & morieris expeditius, qui ferrum non subducta ceruice, nec manibus oppositis, sed animosè recipis.* Pertinet huc apud eumdem Tullium pro Roscio, C. Fimbriæ impotens responsum, Scæuulam accusantis *quòd non totum ferrum corpore recepisset.* Et alluſit poëta magnus·

*Sic loquitur, iuguloque haud inscius accipit ensem.*

Etiam Prudentius:

*Ferrum in papillas omne recepero.*

Et tamen misericordia (si ita placet) admixta his sceleribus, siquis caderet gladiator famosus. Statius, de leone: *Miserabiles famosi gladiatores.*

*——quòd te populúsque patrésque,*
*Ceu notus caderes tristi gladiator arena,*
*Ingemuêre mori.*

Imò & quidam quasi mitiores, auertebant se à vulneribus. Quinctilianus Declam. CCLXXXIX. *Multi se à gladiatorum vulneribus auertunt: & quamquam nemo dubitet illud spectaculum esse in parte pœnarum, tamen nequissimorum quoque hominum suprema pericula habent suam gratiam.* At illud feritatis inauditæ, quod Lactantij ipsis verbis ponam: *Quinetiam*, inquit, *percussos iacentésque repeti iubent, & cadauera ictibus dissipari: nequis illos simulata morte deludat.* Et éstne super alius ad sæuitiam gradus? Est. Nam & manum mittebant in vulnus, & sanguine velut se proluebant. Colligo ex Lampridij Commodo: qui omen sibi ante mortem, vt ait, nō leue fecit. *Nam cùm in gladiatoris occisi vulnus* *Iterabant ictus.* *Manum in vulnus mittebant.*

*manum misisset, ad caput sibi detersit.* Illud scilicet prodigio habitum, non quòd manum cruentasset (ex more enim:) sed quòd capiti suo admouisset. quasi precatus sibi suoque capiti eadem. Sed nec defuisse è populo scite, qui gladiatorum sanguinem ex ipso vulneris hiatu biberent, calidum adhuc spirantéque. contra morbum, fateor: sed iusta * Plinij detestatione, *cùm plagis ne ferarum quidem admoueri ora fas sit humana.* Non ergo iniuriâ in hanc feralem arenâ illata, vnà cum reliquo apparatu, Libitinæ instrumenta. vt esset videlicet, quo mortui subitò efferrentur. Quinctilianus clarè notat: *Sonabant clangore ferali tubæ, illatísque Libitinæ thoris ducebatur funus ante mortem.* Nec Plinium aliter audietis lib. XXXVII. cap. III. vbi de gladiatorio munere Neronis: *Arma verò & Libitina, totúsque vnius diei apparatus è succino.* Ab hac re certa porta in Amphitheatro, quæ Libitinensis dicta. Lampridius in Commodo: *Galea eius bis per portam Libitinensem elata est.* Dio de eâdem re: καὶ ὅτι ἐν τῇ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ τὸ κράνος αὐτοῦ κατὰ τὰς πύλας, καθ' ἃς οἱ τελευτῶντες ἐκφέρονται, ἐξεκομίσθη. Ex his videtis, opinor, satis, quanta ista cruditas: & quàm iure Prouerbij vicem scripserit Posidippus Comicus apud Athenæum:

Τῶν μονομαχούντων ἐσμὲν ἀθλιώτεροι.

*Bibebant sanguinem.*

**lib. XXVIII. cap. I.*

*Libitina in Amphitheatro.*

*Plinius explicatus.*

*Porta Libitinensis.*

## CAPVT XXIII.

*Præmia victorum, palma, & pecunia. item Rudis. Discrimen inter Rudem & Pilleum: Arma ad Herculis.*

INTERFATVS hîc ego, Parce oculis, inquam, istis Victor. non enim vltrà possum sine lacrimis.

Lupi,

Lupi, non homines; quique edere sustinuerunt, quique spectare. Macte Constantine, qui sustulisti. Da te etiam paullulùm, inquit Victor. iam ad exodium perducta res: & pugna certè pugnata est. Venio ad ea quæ post pugnam. Præmia dico, & Rudem. Præmia? inquam ego. quid? vtrúmne istis paricidis? Istis, inquit. Augustinum audi tecum indignantem libro III. De ciuit. cap. XIIII. *Pugnant etiam gladiatores, vincunt & ipsi: habet præmia laudis & illa crudelitas.* & quidem præmium victori duplex, Palma & Pecunia. De palma Suetonius Caio: *Myrmillonem ferrea sica confodit, & more victorum cum palma discurrit.* *Palma gladiatorum.* Lampridius in Commodo: *Tantum palmarum gladiatoriarum confecerat, vt mille contingeret.* Cicero pro Roscio: *Plurimarum palmarum nobilis ac vetus gladiator.* & ibidem: *Multas eius esse infames palmas, hanc primam lemniscatam quæ Romæ deferatur.* Iisdem & pecunia data. *Pecunia item.* Suetonius in Claudio, de subito gladiatorio munere loquens: *Nec vllo spectaculi genere communior* (ego verò legerim, *comior:* vt comitatem Claudij prædicet) *aut remissior erat: adeò vt oblatos victoribus aureos, prolataque sinistra manu, pariter cum vulgo voce digitisque numeraret.* *Suetonius correctus.* Iuuenalis Satyra VII.

*Accipe victori populus quod postulat aurum.*

Quæ donationes effusè creuerant, & coërcendæ à Principibus sæpe. Sed & vltra legitima præmia, corollaria adiiciebantur, exemplo à scena. Suetonius Augusto: *Corollaria & præmia alienis quoque muneribus & ludis & grandia & crebra de suo offerebat.* Supereſt de Rude: cuius mentio iucunda mihi.* Hanc indul- *Rude donare.* *Rudem è ferula: de qua lib. I. cap.*

gebant gladiatoribus veteranis, quasi magisterij signum: aut etiam nouis, in nouo aliquo & strenuo facto. idque populo impetrante. Quinctil. *Quidam vt patrem sepeliret, se auctorauit: sed die muneris productus, sub titulo causſæ, rudem postulante populo accepit.* Hanc gladiator (si tamen vera & germana Acronis in Horatium nota) *stans ad crepidinem Circi sub circulo Amphitheatri à populo petere & impetrare solebat.* Dabat eam, vt videtur, Editor, vel Lanista etiam ipse. Calpurnius Declam. L. in Themate: *Redemit eum Lanista, & rudem ei in arena dedit.* Sed tamen, vt dixi, populi arbitrio aut postulatione. quod etiam in aliis præmiis obtinuit. Lactantius: *Non potest esse immunis à sanguine, qui voluit effundi: aut videri non interfeciſſe, qui interfectori & fauit & præmium postulauit.* At Rudis mentio apud omnes scriptores crebra: eius effectus, liberatio ab arena. Quod tamen distinctè intelligetis, aliter atque aliter pro conditione gladiatorum. Quidam enim, (vt Duza hîc prædixit) liberi erant siue Auctorati, qui arenæ operam pretio locabant. Ij donati rude, redibant in veterem prorsus libertatem, nullo vltrà vinculo seruitutis. Exemplum in Opilio Macrino, de quo Capitolinus: *Plerique gladiatoriam pugnam eum exhibuiſſe dixerunt. & accepta rudi, ad Africam iſſe, venatorem primò pòst etiam tabellionem fuiſſe, deinde aduocatum fisci.* Alij è gladiatoribus, conditione serui. Hi donati rude, non libertatem accipiebant, sed vacationem dumtaxat à pugna. Laniſtæ deinceps próue laniſtis erant, doctores tironum; & batuebāt, non pugnabant. Ideò tuta rudis Ouidio dicta:

*Acronis ambigua adſertio.*

*Diſcrimen in data rude, propè ſonis.*

*Auctorati, ſtatim & plenè liberi.*

*Serui, non item.*

*Tutaque,*

*Tutaque, depoſito poſcitur enſe, rudis.*

Quòd ſi libertatem etiam impetrarent: mos erat, vti pillearentur, id eſt,* pillei impoſitione liberi iudicarentur. Itaque Tertullianus bene Rudem à Pilleo ſeiunxit: *Et qui inſigniori cuique homicidæ leonem poſcit, idem gladiatori atroci petat rudem, & pilleum præmium conferat.* Quæ tamen præmia ne temerè conferrentur: cautum eſt quid in noxiis damnatiſque ſeruaretur. Tempus rudi, tempus pilleo præſcriptum. Quod è ſolo Fragmento Vlpiani nobis innotuit, vulgato à doctiſſimo Ic. Pythœo. *Eſt autem differentia*, inquit, *inter eos qui ad gladium & eos qui ad ludum damnantur. Nam ad gladium damnati, confeſtim conſumuntur, vel certè intra annum debent conſumi. Enimuerò qui in ludum damnantur, non vtique conſumuntur, ſed etiam pilleari & rudem accipere poſſunt poſt interuallum. Siquidem poſt quinquennium pilleari: poſt triennium autem rudem induere iis permittitur.* Vbi vel ex interuallo temporis vides pilleum rude meliorem. Qui donati rude, Rudiarij dicti. Tranquillus Tiberij cap. VII: *Munus gladiatorium dedit, rudiariis quoque quibuſdam reuocatis auctoramento centum millium.* Ex quo pronum colligere, non depugnaſſe vltrà rudiarios, niſi pretio aut ſponte inductos. Horatij verſus totum hunc ritum ſatis aperiunt, Ad Mæcenatem ſuum:

*Spectatum ſatis & donatum iam rude, quæris*
*Mæcenas iterum antiquo me includere ludo.*
*Non eadem eſt ætas, non mens. Veianius armis*
*Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro.*

E quibus poſtremis admonitum etiam hoc volo:

*Sed pilleo impoſito otium.* *Exēplo ſcilicet reliquorū ſeruorum.*

*Qui damnati in ludum, non temerè liberati.*

*Rudiarij gladiatores.*

*Mos arma conſecrandi Herculi.*

morem fuisse, vti gladiatores emeriti arma sua suspenderẽt ad Herculis sacra videlicet eiusmodi gymnasiorum deo. Nam & athletis & gladiatoribus Hercules præesse putabatur: qui facta eius scilicet & robur æmularentur. De athletis, lapis Græcus Romę indicat, in quo aliquoties nominati, οἱ περὶ τὸν Ἡρακλέα ἀθληταί. Varro: *Ex his atque huiusmodi institutis vel ad Herculis athletæ facti erant.* De gladiatoribus, præter Horatium Commodus ille testis, qui Herculem dici se voluit, imò pingi, fingi: quia gladiator. Igitur vt in Circo, Neptuni: in theatro, Veneris: sic in Amphitheatro, Herculis ædes vulgò. Vitruuius indicat clarè lib. I. admonens exstruendam ædem *Herculi, vbi gymnasia aut amphitheatra non sunt, in Circo.*

*Hercules Athletis gladiatoribusq; præses.*

*Eius tẽplum vulgò in Amphitheatru.*

## CAPVT XXIIII.

*Studia vulgi in varia genera gladiatorum. item sponsiones. Principum ipsorum crudus fauor.*

DIXIN' omnia, Lipsi? an est quod me fugit? fugit etiam. Nam de factionibus sponsionibusq. in Arena, dignum nota. Vilissimæ enim animæ addictæ his ludis & velut consecratæ, in partes diducebantur, & magno studio huic generi gladiatorum fauebant aut illi. Atque vt in Circo, alius in Venetum pannum, alius in Prasinũ pronus: sic in Amphitheatro, hic in Thracum armaturam, alius in Myrmillonum aut Secutorum. Antoninus Imp. in vita sua: παρὰ τῶ τροφέως, τὸ μήτε πρασιανὸς, μήτε βενετιανὸς, μήτε παλμυλάριος ἢ σεκουτόριος ἡγιάζ. Parmularij videlicet fautores

*Studia & factiones in Arena.*

*Parmularij.*

fautores Thracum dicti, quia parmæ fauebant: & simili modo, Secutoriani. Martialis: *Secutoriani.*

*Vincenti parmæ cùm sua turba fauet.*

Apud Arrianum Epictetus & explicat hunc morem & coërcet lib. III. Dissertationum, cap. IIII. quem videte. Sed & sponsiones interponebantur vulgò, vter vinceret. Ouidius I. de Arte: *Sponsiones pro victoria.*

*Hos auditus Circúsque nouo præbebit amori:*
*Sparsáque sollicito tristis arena foro.*
*Illa sæpe puer Veneris pugnauit arena:*
*Et qui spectauit vulnera vulnus habet.*
*Dum loquitur, tangitque manum, poscitque libellum,*
*Et quærit, posito pignore, vincat vter:*
*Saucius ingemuit, telumque volatile sensit,*
*Et pars spectati vulneris ipse fuit.*

Et vulgus hæc tantùm? Principes imò ipsi. Titus Imp. *studium armaturæ Thracum præ se ferens, sæpe cum populo & voce & gestu, vt fautor, cauillatus est*, ait Suetonius in Tito cap. VIII. Quo loco non lusciticsus sed cæcus Glareanus, qui rescribendum contendit, *non vt fautor*, addita negatione. Sed ego, vósque, capimus. Domitianus contrà, in hoc quoque dissidens à fratre, myrmillonibus fautor. Nec simplex hic fauor, & in re ludicra, ludus: in iram, inimicitiam erũpebat, imò cædem. Domitianus *Patrem familias, quòd Thracem myrmilloni parem, munerario imparem dixerat, detractum è spectaculis in arenam, canibus obiecit, cum hoc titulo, Impiè locutus parmularius*, vt verba Suetonij sunt Domitiani cap. x. Hoc volebat scilicet ille ciuis, Thracem resistere myrmilloni posse, cui viribus par: non

*Principes imbuti hoc fauore aut odio.*

*Aduersa Suetonij lectio.*

*Caussa mortis hic fauor.*

*Suetonius explicatus.*

non posse Editori (ipsi nempe Domitiano) à quo premebatur. Hoc dictum luit sanguine suo miser. Appositè & apertè hanc sæuitiam tetigit Plinius in Laudatione Traiani: *Nemo spectator spectaculũ factus, miseras voluptates vnco & ignibus expiauit. Demens ille verique honoris ignarus, qui crimina maiestatis in arena colligebat, & se despici ac contemni, nisi etiam gladiatores eius veneraremur, sibi maledici in illis, suam diuinitatem, suum numen violari interpretabatur: cùm se idem, quod deos: gladiatores, quod se putabat. At tu Cæsar quàm pulchrum spectaculum pro illo nobis execrabili reddidisti? Vidimus delatorum iudicium, quasi grassatorum, quasi latronum. non solitudinem illi nouiter* (moneo legendum abiunctis litteris, *non iter*) *sed templum, sed forum insederant*, &c. Et sanè etiam ante Domitianum hæc factitata: ex his Senecæ verbis, lib. I. de Clementia, cap. XXVI. *Non conuiuia secura ineunt, in quibus lingua sollicitè etiam ebriis custodienda est: non spectacula, ex quibus materia criminis ac periculi quæritur. Apparentur licet, inquit, magna impensa & regiis opibus, & artificum exquisitis nominibus: quem tamen è ludo in carcerem ire iuuet?*

* Domitianum tangit.

Plinius correctus.

## CAPVT XXV.

*Quid pro Romanis proque his ludis dici possit. Solitos dari sub belli tempus. In fine mos de reliquiis vini.*

SED ego abiungo fessus. & dicite seriò, nónne etiam vobis

*Lumbi sedendo, oculique spectando dolent?*

Non mihi, ait Lernutius. Pulchri isti & oblectantes ludi.

ludi. Ego ad eum adducto vultu, Quod verbum te fugit? inquam. Ex imo pectore id dicis, an è labris? Ex pectore, inquit: atque adeò addo vtiles fuisse, non solùm oblectantes. Nec vultu isto me terrueris. de Romanis loquor, non de nobis: de noxiorum cæde, non de innocentum. Et dic, sodes, tu: gentem natam ad arma, & in armis; cui fatum, vi domare orbem: miraris in remissionibus ludicrísque ipsis prætulisse arma? sanguinẽ oculis vsurpasse & cædem? Ego verò à legislatoribus multas meditationes gymnasiaq. institutas scio ad fortitudinem: nullum efficacius isto. Lacedæmonij pueros ad aram cædunt, sanguinem eliciunt: tu homo misericors, si interuenias, credo, plores. At palæstram eam fortitudinis patientiæque Lycurgus censuit. Atque illi in liberis innoxiísque corporibus sæuitia ea vsi: Romanis, quos scelera sua lexque damnarant, non licuit interficere animaduersioni pariter & exemplo? At enim delectati ea cæde fuerunt. Fateor, sed non is finis. Non delectare, sed confirmare eo spectaculo mentem oculósque voluerunt: & viuis præsentibúsque exemplis monere *Fortiter agere, fortiter pati.* Accessit tamen trepida quædam voluptas. quid mirum? Apud nosipsos, qui religione & more arcemur ab laniena, in hanc partem scilicet non peccatur. Prœliorum igitur sermo sit: quotusquisque erit, qui non è specula aliqua videre optet pugnantium morientiumque stragem? Lege in reum agatur: quis non relictis rebus in forum accurret, vt strictum carnificis gladium videat, & vnius miseri purpuream ceruicem? Ita est. queri libet de

*Progladiatoribus aliquid.*

*Bellicum esse spectaculum.*

*Meditationem fortitudinis.*

*Voluptatem spectantium, accessionem esse, non finẽ.*

*Cupiditas humana videndi sanguinis.*

peruersitate naturæ. Hominem nascentem videre non capimur: capimur præter fatum morientem. Sed Romanis, vt dixi, qui primi ludicri auctores, non is scopus: militiam modò & fortitudinem spectarunt. Cicero bene Tusculana secunda: *Crudele gladiatorum spectaculum & inhumanum nonnullis videri solet. & haud scio an ita sit, vt nunc fit. cùm verò fontes ferro depugnabant, auribus fortasse multæ, oculis quidem nulla poterat esse fortior contra dolorem & mortem disciplina.* Et Plinius in Panegyrico: *Visum est spectaculum inde non enerue nec fluxum, nec quod animos virorum molliret ac frangeret: sed quod ad pulchra vulnera, contemptumque mortis accenderet, cùm in seruorum etiam noxiorumque corporibus amor laudis & cupido victoriæ cerneretur.* Itaque dabant plerumque gladiatores, ituri ad bella. Spartianus in Seuero: *Profectus dehinc ad bellum Parthicum est, edito munere gladiatorio.* Et satis multis verbis Capitolinus in vita Maximi & Balbini: *Vnde autem mos tractus sit vt proficiscentes ad bellum Imperatores munus gladiatorium & venatus darent, breuiter dicendum est. Multi dicunt apud veteres hanc deuotionem contra hostes factam, vt ciuium sanguine litato specie pugnarum se Nemesis, id est vis quædam fortunæ satiaret. Alij hoc litteris tradunt, quod verisimilius credo, ituros ad bellum Romanos, debuisse pugnas videre, & vulnera, & ferrum, & nudas inter se* cohortes, (emendandum censeo, *nudos inter se coörtos,*) *ne dimicantes in bello armatos hostes timerent, aut sanguinem pertimescerent.* Atque hæc satis, vt opinor, ad excusandum publicum morem. quem tamen ipsum priuatim si spectas, quid? non tu, Lipsi, momen-

*Ad mortis contemptum facere.*

*Ideò dari solent tempore belli.*

* *Atqui non per cohortes pugnabant vulgo. Capitolinus correctus.*

momentum aliquod habuisse censes ad virtutem? Magnum. Tempora nostra, nósque ipsos videamus. Opidum ecce vnum alterúmue captum, direptum est; tumultus circa nos, non in nobis: & tamen concidimus, ac turbamur. Vbi robur? vbi tot per annos meditata sapientiæ studia? vbi ille animus qui possit dicere, *Si fractus illabatur orbis?* Ignaue miles, sequere me non in philosophicum, sed in hunc pugnatorium ludum. Vides tu illum gladiatorem? illum barbarum? illum perditum? fortiter occumbit: iugulum præbet: ferrum attemperat sibiipsi. Tu degener, rem non trahis in exemplum? non tecum sic loquere? Homullus ille sine litteris, sine disciplina, mortem contemnere potest, extremum rerum humanarum: exsilium ego & mutationem loci formido. Ille sanguinem amittit alacer: ego si ager aut resculæ meæ mihi eripiantur, plorem. Ceruorum videlicet similis, quibus vt frustrà ingẽtia cornua, cùm desit animus; sic mihi hæc litterarum tela nescio vti. Desierat Lernutius, & parabam respondere ego: sed Duza interpellans, Ne nunc reciproca Lipsi, inquit, hanc serram. Diei tempus vides? contenebrauit. Certè video, inquam: eamus. Et iam surgere nitebamur, sed capite quassanti Lernutius, Non ita, non ita, inquit. non dimitto. Quid? inquam, etiam Caligulam imitabere, & inclusos necabis in hoc Circo? Prorsus, inquit. aut vos bellaria hæc tangite, ne adposita frustrà. Vin' tu, Lipsi, de hoc cannarum melle? Sacchar appellarunt Arabes. Certè conuenit tibi homini tam miti & tam molli. Ego renui: &, non capio, inquam, ab hoc Falaride.

*Potuisse etiã priuatim esse vtile id ludicrum.*

*Exhortatio ad constantiam.*

laride. Apud Anthropophagos nasci debuisti tu. non spectasses solum, credo, sanguinem, sed gustasses. Pax! bona verba, ait Lernutius. & in fermento es? exiurabo potius, me priora illa dixisse per iocum. Vinum hoc à me cape. Cyathumque porrexit, quem ego vix summo ore delibans puero tradidi, & bibere iussi. Non tulit Lernutius: & quæ hæc res? inquit. Proba & antiqua, inquam. Ita receptum, vt in fine mensæ, puero qui à poculis, reliquias darent vini. Imò religio quædam in illo. Athenæus libro extremo: Ἦθος δὲ ἦν ἀναστᾶσι τῶν δείπνων, καὶ ἀπείσασι, τὸ λοιπὸν τοῦ ἀκράτου τῷ διδόντι παιδὶ ἐκπιεῖν διδόναι. Id est: *Mos erat vt cùm surgerent à mensa, cumque libassent, vini reliquum puero illi darent qui bibere ministrasset.* Dixi, & surrexi. sed Victor ad nos, Amici, inquit, cras nempe apud me eritis. Hem! inquit Duza. cras iterum ad conuiuium? Hæc erit profectò, vt Græci dicunt, νυμφίου βίος. Tamen, si Pighius hic vult; me, Victor, vince. Sint sanè hæc tertia legitima Saturnalia, inquit Pighius. Veniemus. Dictum simul, abitumque.

*Reliquiæ vini pincernæ puero datæ, ritu prisco.*

INDEX

# INDEX CAPITVM QVÆ LIBRO PRIMO.


CAPVT I.

*Occasio & origo horum sermonum.*

CAP. II.

*Salini religio in mensa. Arnobius explicatus: Liuij lectio vulgata defensa. Saturnalia, seruorum dies. Seneca correctus, explicatúsque. Saturnus deus. Festus & Cicero emẽdati. Mutatio vestis. Synthesis. Plautus explicatus. Petronius & Dio correcti.*

CAP. III.

*De Saturnalibus diebus. Opalia. Suidæ lux. Ausonio medicina. Varroni lux & medicina. Aucti Saturnalium dies.*

CAP. IV.

*Etiam quæsitum de diebus. Obiectiones positæ, & in parte remotæ.*

CAP. V.

*Saturnalia gladiatoribus ludisque destinata. Ipsi gladiatores Marti, vel potius Saturno sacri. Saturnus inter inferos, maleficus, & cruento sacro gaudens. Tibullo lux, & Tertulliano. Sacerdotes Saturni.*

CAP. VI.

*Gladiatores olim in cõuiuiis: Campanorum institutio. Romani id æmulati. Lampridius cõtra Turnebũ explicatus, in cubiculariis gladiatoribus. Germanorum immanitas.*

CAP. VII.

*In genere de spectaculis, primò. Tum de celebritate & frequẽtia gladiatorij ludicri: quamq; id gratum. Quo nomine antiquis dictũ, Munus, Munerarius, Munerator. Editio: Editor. Tacitus correctus. Gladiatores significatione duplici, pro re próque hominibus.*

CAP. VIII.

*Dispositio & ordo futuri sermonis. Origo ludicri: & causſa. Ciceroni lux facta. Primi gladiatores. Ausonio præluximus, eumq; emendauimus. Recensio veterum munerum, quæ olim comprehensa Actis, inter res serias. In illustrium funere gladiatores. mox etiam plebeio, idq; ex testamento. postremò & feminarum.*

CAP. IX.

*Præter funus & religionem, etiam voluptatis causſa dati gladiatores. A plerisque magistratibus. etiam Sacerdotibus. Arcariis. (in qua voce Lampridius correctus.) Imperatoribus.*

CAP. X.

*Nec Romæ solùm, sed in prouinciis: vbi reges dabant, præsidésque. paulatim in coloniis & municipiis increbuit mos: vbi minores magistratus dabant. postea promiscuè priuati, vario prætextu. Dies etiam, quibus ex more dabant.* CAP. XI.

*Crebritas munerum, & multitudo pugnantium, supra nostram fidem. Plinius ac Suetonius probabiliter emendati.* CAP. XII.

*Detestatio huius verè sceleris. quéque leges ab antiquis latæ, ad coërcẽdum effusam prætionẽ. Eæ duorum generum, quæ certos homines ab editione arcerent: quéque numerum & modum editioni ipsi ponerẽt. Postremò tota res sublata. Ammianus explicatus, & Prudentius.*

CAP. XIII.

*Additamenti loco ad primam sermonis partem adiectum, de habitu Edentium: de habitu Spectantium. Suetonius illustratus.*

CAP. XIIII.

*Pars secunda, De loco. qui cùm duplex, primò de Ludo dictū. Cui rei inuentus: quàm multi Romæ: qui præfecti & administri: De victu & sagina gladiatorum in his ludis, qui fuêre etiam extra Romam. & aliquid de ludorum forma.* CAP. XV.

*Ludorum præfecti, Lanistæ: qui familiæ præesse dicti, eamq; Ducere. Iidem doctores, magistri, Cōmentabantur, Dictata dabant. Tirones apud eos instituti: quorum exercitium Batuere rudibus. Rudē videri gladium è ligno. Aliámque lanistis fuisse, ac tironibus.*

CAP. XVI.

*Mensæ secundæ interruptus paullum sermo de loco: dictumq; per occasionē de Saturnalicis muneribus: item de Apophoretis, quæ duplicia; & in mensis, item in ludis spectaculisque.*

CAP. XVII.

*Iterum ad gladiatores reditum: déque locis pugnæ dictum. Ea sunt Rogus, Forum, Amphitheatrum, Septa, Circus, Vici & regiones.*

CAP. XVIII.

*De Spoliario, quod item pars ludi. vnde id dictum, & cui rei vsuique. Obiter etiam de obscæna ludi parte.*

CAP. XIX.

*Finis conuiuij sermonisq;. per occasionem de diludiis. item de ratione inuitandi ad hilaritatem, inusitatum hodie. Ammianus expletus à coniectura. De Mutitatione, Agellius correctus, & Nonius.*

QVÆ LIBRO II.

CAPVT I.

*Quid ante diei secundi conuiuium. cum Victore dissertatio super Taciti loco. de inuentione argēti apud Germanos. crebra manuum lautio antiquis.*

CAP. II.

*In ipso conuiuio de Carptorum munere, & vario nomine. Itē de structoribus. Trāslatus cœptus sermo à Pighio ad Duzam.* CAP. III.

*Propositio dicendorum: primoq; de cōditione gladiatorum. quosdā seruos esse, aut quasi seruos: quosdā initio liberos, imò nobiles. Equites Senatoréque passim arena se polluisse. quod aliis principibus permissum, aliis vetitum.*

CAP. IV.

*Feminas imò ipsas descendisse in hunc ludum: in publico depugnasse. Donec id vetitum à Seuero.*

CAP. V.

*Liberos homines qui in arenam veniebāt, propriè Auctoratos dictos. pretium mercesq; eorum, Auctoramentū. Vis & effectus Auctorationis. Item solemne gladiatorum iuramentum.*

CAP. VI.

*Facta fine dicendi de cōditione gladiatorum, interlocutiones aliarū rerum insertæ. De Oriētalium parcimonia, vel abstinentia potius, in potu. De nunciis litteriisq; per columbas aut hirundines, etiam in Spectaculis.*

CAP. VII.

*Reditio ad gladiatores. De generibus eorum, & discrimine. De Secutoribus primò: caussa nominis: ratione pugnādi, & armis.* CAP. VIII.

*De Retiario. vnde petitum id genus. descriptio pugnæ, & armorum. & cum quo commissus.*

CAP.

CAP. IX.

*De Threce. vnde, & quando orti. de armis eorum, & præsertim accuratè de Sica.*

CAP. X.

*De Myrmillone. origine nominis vix inuenta, ipsi è Gallia petiti. Arma eorum & compositio.*

CAP. XI.

*De Hoplomacho & Samnite: qui fortassis iidem. Samnitum origo, & arma. Item de Prouocatoribus.*

CAP. XII.

*De Essedariis, déque Andabatis. & de vtriusque ratione pugnandi.*

CAP. XIII.

*Quidam adiecti nondum pernoti. Dimachæri, Laquearij. item ostensum confundi interdū dicta nomina à poëtis, sæpe à litteratoribus semidoctis. Artemidori caput descriptū ad lucem.*

CAP. XIV.

*Pausa aliqua iterum. interea de Suppositiciis dictum. déque sorte. statim in viam reditum, & reliqua genera vel cognomina potius gladiatorum adiecta. primò Pegmares.*

CAP. XV.

*Meridiani, non inter veros legitimósque gladiatores: siue armis, siue arte seminudi.*

CAP. XVI.

*Plura agnomina vno capite. Fiscales siue Cæsariani. Postulaticij. Cæterunarij. Consummati. Ordinarij. Causse omnes nominum explicatæ.*

CAP. XVII.

*Ad terminum de hominibus, vestis adiecta: Togáne fuerit, an Tunica. item quid Ornamenta.*

CAP. XVIII.

*Finis Duziaci sermonis. Orditur Victor, partitúrque. Hoc capite, apparatus & inuitatio, quæ ante diem muneris vsurpata, explicantur.*

CAP. XIX.

*Quæ ipso die facta: & tamen ante pugnam. Pompa, traductióque: compositiones, & ostensio ornamentorum. Prælusio, hastis, rudibus, armis. Tubæ cantus, & versa arma.*

CAP. XX.

*Pugnæ ipsius descriptio. In statu stabant. Pètebant, repetebant. Exibant, excedebant. Latus tegebant.*

CAP. XXI.

*Clamor ad vulnus, Hoc habet. Læsi supplicabant, & arma submittebant: populum, editores, orabant. si is vellet, mittebantur. Quid missio, & pugna sine missione.*

CAP. XXII.

*Populus moderator & arbiter horum ludorum. Intercedebat. interficiebat motu pollicis. Ferrum recipere iubebantur prostrati. qui non vno ictu interficiebantur. manum mittebant in vulnus. postremò Libitina in Amphitheatris.* CAP. XXIII.

*Præmia victorum, palma & pecunia. item Rudis. discrimen inter Rudem & Pilleum. Arma ad Herulis.*

CAP. XXIV.

*Studia vulgi in varia genera gladiatorum. Item sponsiones. Principum ipsorum crudus fauor.*

CAP. XXV.

*Quid pro Romanis proq; his ludis dici possit. Solitos dari sub belli tempus. in fine mos de reliquiis vini.*

FINIS.

# INDEX RERVM ET VERBORVM.


A

ACcubitoria vestimenta. 12
Acinacis Persarum. 109
ἀκόλαθος. 98
Ad cultrum. 85
Ad gladium. ibid.
Aduentitia. 4
AEneatores, Tubicines. 149
Agellius correctus. 74
ἀγωνοθέτης. 27
Alcedonia. 3
A linea excidere. 32
Ammianus illustratus. 49
Amphitheatra ludicro & venationi data. 67, 68
Amphitheatra sedes cædium s. gladiatorum. 40
in Amphitheatro templum Herculis. 166
Amplexus, gratulationis signum. 2
Anaxagoræ locus de patria. ibid.
Andabatæ, qui? 118
clausis oculis pugnabant. ibid.
Andabatarum more pugnare. ibid.
Andabatis galea ex auro. 121
Ἀποδυτήριον. 69
Apophoreta, quid? 65
Apophoreta Saturnalibus missitata. 64
& in ludis. 65
Apophoreta, lanx. ibid.
Apparatus aulicus. 134.
Appianus illustratus. 32
Apuleius emendatus. 41
& interpretatus. 98
Argenti venæ apud Germanos quando repertæ. 77
Arma, ornamenta dicta. 139
Arma lusoria. 146
Arma pugnatoria. 147
Arma submittere. 155
Artemidorus emendatus. 109, 117, 118
explicatus, 111, 120. & interpretatus. 114
Asparagi quàm coquantur, redire cietius. 4
Aterij somnium. 103
Aterius à Retiario occisus. ibid.
Auctorare. 92
Auctorati gladiatores. 92
Auctoramentum. ibid.
Augustus primus spectaculorum Editorem, Munerarium dixit. 27
Aur. Victor explicatus & emendatus. 147
Ausonius, 14. correctus, 14. & explicatus. 30

BAttalia gladiatorum exercitationes. 61
Battualia, gymnasiũ gladiatorum. ibid.
Batuere quid? 61, 109
Belli tempore dati gladiatores. 170
Betizare. 76
Bitere. 74
Bona Saturnalia clamari solitum. 9
Bustuarij gladiatores. 30

CAEnatoria vestis, domestica tantùm. 10
Cæsariani gladiatores. 133
Calamitas orbi inuecta per ludos gladiatorios. 46
Campani conuiuiis gladiatorum spectacula exhibuerunt. 22
quos Romani imitati sunt. 23
Candidatis gladiatores dare vetitum. 46
Caninum prandium. 95
Capitolinus correctus. 170
Captiui in exsequiis immolari soliti, & ad bustum. 29, 30
Carptores, qui? 80
Carpus, quid? 80, 81
Cateruarij gladiatores. 134, 136, 137
Cellæ meretriciæ. 57
Cellæ seruiles. ibid.
Cerei in Saturnalibus dati. 65, 66
Cheironomontes. 80
Chirurgi etiam medicorum nomine comprehensi. 55
χιθώνιον ἄνθινον. 13
Cicero emendatus. 7, 8, 46
& explicatus. 30, 121, 141
Claudius Prętoria munera tollit. 37, 42
Clemens Alexandrinus correctus. 108
Clypeus, ensis & galea, sunt arma Secutoris. 100
Coacti gladiatores. 92
Collum inuadere. 2

Columbæ ad ferendas literas, in Spectaculis. 96
Columbæ liberatrices. 97
Columbæ sacræ Syris. 95
Comburere diem. 6
Commentator, pro Lanista. 59,60
Committere gladiatores. 144
Comparare gladiatores. ibid.
Compitalia. 17
Componere & compositio. 144
Coniectura in Cicerone. 152
Constantinus gladiatorum munus sustulit. 49
Consummati gladiatores. 138
Copis. 109
Corollaria. 163
Cranium mortui in mensam inferri solitum. 72,73
Criticum acumen. 110
Crixus Spartaci dux. 32
χρόνιον ὄμμα. 20
Cruenta Romanorum conuiuia. 24
Crupellarij Gallis iidem qui Myrmillones. 111
Cubicularij gladiatores. 23
Culigna. 5
Culter Venatorum. 85
Cupiditas humana videndi sanguinis. 169
Curæ, infirmo vitandæ. 1
Curatores mensæ. 81
DEorum imago olim in mensa. 4,5
Dictata dare. 60
Diludia, quid? 70,71
Dimachæri. 121
Diribitores. 80
Discrimen inter Missionem & Rudem. 156
Discrimen in data Rude, pro personis. 164
Diti sacri gladiatores. 20
Doctores, pro Lanistis. 59
Domestica vestis. 10
Domini ludorum. 27
Dominia & Dominus quid? 74,75
Domitio. 70
Drusiani gladij. 145
Ducere classem. 59
Ducere familiam. ibid.
Ducere ordines. ibid.
EAnus, Ianus, 7
Edicere diem. 141
Edicta. ibid.
Editiones Spectaculorum. 27
Editores ludorum. 27
Editorum habitus vestisque. 51
Eludere siue deludere. 148
ἐν χειρὸς νόμῳ. 4
Ensis, clypeus, & galea, sunt arma Secutoris. 100
Ἐφεδρεῖα. 127
Epicteti dissertationes. 9
Equites, Senatores q. ad gladium. 85,86
Essedarij gladiatores. 117
ratio pugnandi eorum. ibid.
Eumenius Rhetor correctus. 146
Excedere, exire, ludere, & eludere, vitandi verba. 153,154
Exhortatio ad constantiam. 171
FAbrum cadere cū ferias fullonē. 141
Familiam ducere. 59
Familia gladiatorum. ibid.
Famosi gladiatores, miserabiles. 161
Fauor interdum causa mortis. 167
Fax exstincta & igni admota, vehemētius accenditur. 3
Feminæ etiam ad gladium. 87,88
in gymnasiis nudæ. 88
Feminarum in funere etiam gladiatores dati. 33,34
Feminis monomachia interdicta. 88
Ferula quid, & vnde dicta. 62
Ferulis vapulabant tirones. ibid.
Fides dea. 35
Fiscales gladiatores. 133
Florus illustratus. 32
Forensis vestis. 10
Frigus strictum. 2
Fronto orator Turbonis tribunal adiit in veste conuiuiali. 11
Funus causa muneris gladiatorij. 29
Funus indictiuum. 32
GAlea communis plerisque gladiatoribus. 100
Galeæ cristatæ Samnitium. 115
Germanorum immanitas. 24
Gladiator, quis. 28
Gladiatores orti ab Etruscis. 29
Gladiatores primi publici Romæ. 30
Gladiatores è quo genere hominum. 83
Gladiatorum varia genera. 83,97,98
Gladiatores bustuari. 30. Cæsariani, 133. cateruarij, 134. coacti, 84,92. cubicularij, 23. fiscales, 133. obsequentes, 138. ordinarij,

narij, 138. postulaticij. 133
Gladiatores consummati. 138
victores. 136
Gladiatores dati à plerisque Magistratibus, 35,36 37,38. etiam Sacerdotibus & Principibus. 38
à quo & quando sublati. 48,49,50
Gladiatores, Venatio & Circenses Saturnalibus propriè dabantur. 18
olim tantùm in funere. 31,32
& super mensam. 22
Gladiatores vbi dati. 66,67,68
etiam in Græcia & Iudæa. 39
Gladiatores pro ipsis ludis apud Ciceronem. 28
Gladiatores Marti, vel potius Saturno sacri, 18,19. item Diti. 20
Gladiatoriæ rei intellectæ vtilitas maxima. 21,22
Gladiatorij ludi aliis celebriores. 26
gratissimi plebi. ibid.
Gladiatorij victus ratio. 55,56
Gladiatorium, quid? 28
Gladiatorum crebritas & numerus, 43
Gladiatorum editiones in morte priuatorum idque ex testamento. 32
actis publicis perscriptæ. ibid.
Gladiatorum, interfectorum numerus. 46,47
Gladiatorum nomina interdum confusa. 124
Gladiatorum pompa. 143
Gladiatoriorum munerũ sumptus. 48
Gladiatorum tabulæ pictæ. 142
Gladij Drusiani. 145
Glareani error. 167
Gymnici ludi. 26

HArpe, ensis falcatus. 108,109
Hecatomba. 33
Hercules athletis gladiatoribusq. præses, 166. eius templum vulgo in Amphitheatris. 166
Hercules, Epitrapezius dictus. 5
Herma. 8
Hirundines victoriæ nuntiæ. 96
Histriones Principum. 133
Hoc habet, in vulnere dici solitum. 155
etiam habet simpliciter. ibid.
Homines sæpe pro re ponuntur, vt cõtrà res pro hominibus. 28
Hoplomachus. 113
Horatius explicatus, 23. & illustratus. 142
Hordeaceus panis non bonus. 56
Hygeia. 1

IAnthina vestis. 13
Ianus, E anus. 7
Indictiuum funus. 32
Inuadere collum. 2
Inualetudo. 3
Inuitandi mira, sed prisca ratio. 72
Iocus apud Senecam explicatus correctusque. 117
Io Saturnalia, clamari solitum. 8
Iugulum petere. 4
Iulius Cæsar munus gladiatorium in filiæ memoriam pronuntiauit. 34
Iunius Blæsus Pannoniæ Præfectus. 40
Iuramentum in auctoratione. 93
Iuuenalis dies dictus, Saturnaliũ quintus, à Caligula additus. 15
Iuuenalis explicatus. 115

LAcæna simplicitas. 88
Læna pro cænatoriis. 12
Lætitia Saturnalium. 9
Lampada dare. 140
Lampridius correctus. 37,65
Lanistæ auium. 58
Lanistæ ludorum, gladiatorũ præfecti, 58. & pro ipsis gladiatoribus. ibid.
Lanistæ honestiori verbo Doctores dicti, 59. & Magistri. ibid.
Lapitharum conuiuia. 24
Laquearij. 124
Lassitudo animorum quæ? 76
Latus tegere, in vitando, præcipuũ. 154
Lauabant sæpius in vno conuiuio Romani, 78. cuiusmodi ea lotio? 79
Lectio nimia infirmo vitanda. 1
Leges reprimendis munerum editionibus. 46,47
Libelli gladiatorij ante pugnam. 141
Libellus munerarius. 142
Libitina in Amphitheatro. 162
Libitinensis porta. ibid.
Licentia plebis in flagitandis muneribus. 33
Lictores & accensus Editori. 52
Limen ipsum attigisti ostij. 108
Lineam aduersum aliquem poscere. 21
Linguarium dare. ibid.
Liuius correctus. 61
Locare se ad gladium aut cultrum, quid? 84,85

Lorarij. 94
Lubentia. 3
Lucanus correctus. 152
Ludi ad artem gladiatoriam destinati. 53,56
Ludi pœna. 57
Ludorum arbiter populus. 158,159
Ludorum catalogus. 54
Lusoria tela. 146
Lusorium, locus exercendis gladiatoribus. 53
Μαχαιροποιοί. 28
Macrobij centones. 8
Magistri pro lanistis. 59
Manes gladiatorum sanguine placari soliti. 20
Mantinenses gladiatorię pugnæ inuentores. 29
Manus aleatoriæ. 153
Manus gladiatoriæ, quæ? ibid.
Mare malorum. 3
Martialis illustratus. 62
Mastigophori. 94,97
Mattiacus siue Maciacus ager argenti venas habet. 77
Matulæ modus est. 140
Medici ludorum gladiatorum. 55
Medici etiam pro chirurgis. ibid.
Meridiani, gladiatores. 130
modus pugnæ inter eos. 130,131
Millenaria nota sæpe corrupta. 45
Missio quid propriè? 156
inter eam & Rudem discrimen. ibid.
sine Missione gladiatores dare. 156,157
Moneta, dea. 25
de Monomachia ex Artemidoro. 126
Mos arma cõsecrãdi Herculi. 166,167
Mucro pugnatorius. 147
Munerarius. 27
Munerator, à Floro dictus est munerarius. 28,32
Munerum publicorum diligens in Liuio recensus. 31
Munus, togum. 33
Munus ostendere. 141
Munus pronuntiare. ibid.
Musici agones. 26
Mutitare, quid? 74
Mutitatio priscorum. ibid.
Myrmillones, Gallis Crupellarij dicti, 110. Eorum pugnandi ratio. 111. toti in armis erant. ibid.

Nasiterna. 78
Neptunus. 7,8
Neptuni templum in Circo. 166
Nero Quæstorum munera tollit. 37,38
Nobiles re comesa, gladiatores facti. 84
Nonius emendatus. 74,75,113
Nonius Attellanarũ scriptor citatus. 17
Numeria dea. 25
Νυμφίος βίου. 172
Nuptunnus à nuptu dictus. 7,8
Obsequentes gladiatores. 138
Ocrea in sinistro crure. 115
Odrysæ immaniter efferati. 107
Opalia in eandem cum Saturnalibus incidebant diem. 13,14
Opera vocata. 3,4
Ordinarij gladiatores. 138
Orientales non bibere soliti ad mensam. 95
Ornamenta gladiatorum ante pugnam inspici solita. 144,145
Ornamenta, arma dicta. 139
Ornamenta Boum. 140
Ostendere munus. 141
Paedagogorum sceptrum. 62
Pallium malacum. 11
Palliolati ægri. 51,52
Palma, gladiatorum præmium. 163
pecunia item. ibid.
Paludamẽta Imperatorũ coccinea. 20
Parma Threcibus data. 108
Parmularij. 166,167
Pares inter se commissi. 144
Patria nostra, quæ sit. 2
Pegmares gladiatores vulgo. 128,129
Pegmares ineptè dici. 129
Pegmati. ibid.
Pellæus. 5
Penulati in munere funebri spectati. 52
Persius contra vulgum explicatus. 33
Petere & Petitiones. 152
Petere, arenæ verbum. 153
Peti per alterius latus. 154
Petronius emendatus. 73,12,69
& interpretatus. 99
Phæaces. 30
Picunnus. 7
Pilarij. 146
Pilumnus. 7
Pinna in galeis. 115
Pinnirapi. ibid.
Plautus explicatus. 11,12,149

Plinius emendatus. 45,67,144,168.
explicatus. 162. illustratus. 128
Pollicem vertere. 159
Pollices premere. ibid.
Pompa gladiatorum. 143
Portunnus à portu dictus. 7
Postulari gladiatores solent. 153,154
Postulaticij gladiatores. ibid.
Præstinare. 79
Præludionis dies legitimo certamini præmissus. 145
Præludiones hastis fieri solebant. ibid.
& rudibus. 146
Prætextati Editores. 51
Prandium caninum. 95
Pretio se vendunt aliqui in gladiatores. 84
Probactores. 115
Procuratores ludorum ex ciuium primis. 54
Profana mensa quæ? 4,5
Prometheus, apud AEschylum, Saturnum in Tartaro collocat. 19
Pronuntiare munus. 141
Proponere munus. ibid.
Prouocatores siue Probactores. 115
Pugil pro gladiatore. 49
Pugnæ gladiatoriæ modus. 151
Pugnare versis armis. 149
Purgamentum calcare. 96
QVadrigarius correctus. 96
Quinquatribus gladiatores ati,43
Quintilianus citatus. 28
REcipere ferrum. 160
Reliquiæ vini pincernæ puero datæ ritu prisco. 172
Repetere arenæ verbum. 153
Retiarij, qui? 101
eorum origo. ibid.
eorũ arma & pugnãdi ratio. 102,103
sine galea pugnabant & clypeo. ibid.
Retiarij, Galli. 110
Romanus sedendo vincit. 3
Rudis, quid? 61,62
Rudis duplex fuit Tironis & Laniste. 62
Rude donare. 163,164
Rudiarij gladiatores. 165
Rudibus batuere. 61
SAcerdotes Saturni pallio coccineo velabantur. 20
Sagina gladiatoria. 56
Salini religio in mensa. 4,5
Salinum sacram mensam facit. 4,5
Samnites, 113. eorum origo & arma. 114
Sanguinẽ aliqui victores bibebant. 162
Saturni etymon Latinum. 7,8
Saturnus, vnde Pollucis filius dictus? 9
Saturnus maleficus. 20
inter deos inferos habitus. 19
Saturnaliũ Sermonũ occasio & origo. 1
Saturnalia, seruorum dies. 5,6
Saturnalia quando instituta. 8,9
Saturnalia veterum quo die? 6
Saturnalium dies legitimi quinque. 15
Saturnalibus gladiatores dati. 43
manè lauabatur, 9. munera missitata, 64. vestis mutari solita. 9,10
Saturnalibus togati. 10
Scantinia lex. 79
Scissores, qui? 80
Scriptores olim ex professo de re ludicra scripserunt. 25
Scutum argentatum. 114
Scythæ in conuiuiis è cranio mortui potabant. 73
Secundarij suppositicij. 128
Secutor. 97
Secutor Cæsaris. 98
Secutor Tribuni. ibid.
Secutor Martis cognomen. 98
Secutores, qui? ibid.
eos cum Myrmillonibus confundit Ciceronis interpres. 100
eorum arma. ibid.
Secutoriani. 167
Secutuleia. 99
Sedendo vincit Romanus. 3
Seges curarum. 1
Seneca explicatus & correctus. 6,33, 72,81,85,149
Sermonum Saturnalium occasio & origo. 1
Serram reciprocare. 171
Serui in exsequiis immolari soliti. 29
Serui cum dominis vestem commutabant Saturnalibus. 6
Seruis Domini ministrabant Saturnalibus. ibid.
Sica vnde dicta. 109
Sica Romanorum, qualis? ibid.
Sicarij. ibid.
Sigæum. 140
Sigillaria sequebantur Saturnalia. 17

Solinus emendatus. 114
Spartaci immane factum. 32
Spectacula & eorum diuisio. 26
Spectaculum propriè munus appellatur, & quare? 28
Spectaculum bellicum est, munus gladiatorum. 169
ad mortis contemptum facit. 170
Spectatores munerum, in qua veste? 52
Spoliarium, quid? 68
vnde dictum. 69
Spongia siue Baltheus, tegmen pectori Retariis adtribuitur. 103
Sponsiones pro victoria. 167
Stare in gradu. 152
Stare in statu. 151
Statius correctus. 128
Status. 151
στλὴ ἐπιτύμβιος. 11
Strictum frigus. 2
Structores. 80
Stupor è frigore. 2
Submittere arma. 155
Submittentium arma, mors aut salus à populi nutu pendebat. 155,156
& Editorum. ibid.
Suetonius emendatus. 45,86,87
explicatus, 134,167,168. & illustratus, 51,153
Suidas explicatus. 14
Sumptus munerum gladiatoriorū. 48
Suppositicij gladiatoribus. 127
sorte dari soliti. 128
Syntheſinati Saturnalibus honestiores ciues, 9. & homines lautiores. 11
Syris columbæ sacræ. 95

TAbulæ gladiatorum pictæ. 142
Tacitus emendatus. 28,77
& explicatus. 40,47
Tela lusoria. 146,147
Tertiarij suppositicij. 128
Theologi veteres crebrò inuecti in Spectacula. 25
Threces qui, & vnde dicti? 107
pro quouis etiam gladiatore. 30
eorum arma. 108
Threcem cum Myrmillone confundit Horatij interpres. 108
Threces cruenti. 107
Threciscus. ibid.
Threcidica, arma Thracum. 110
Tibullus illustratus. 20
Tirones, nouitij gladiatores. 60
docti in ludis, ibid. vapulabant ferulis, 61. eorum arma grauia. 62
Togati spectatores in Voluptario munere. 52
Togati etiam gladiatores. 139
Traiani incredibilis gladiatorum editio. 44
Trebellius Pollio emendatus. 143
Trico nummarius. 3
Tridens pro gladio Retiarij. 102,103
Trimalcionis conuiuium. 73
Tuba terminalis. 148
Tubæ signo ludi committi. ibid.
Tunica, vestis Retiariorum. 139
Turnebi originatio ridicula super Myrmillone. 110

VAletudo venæ tactu indagatur. 1
Vara vibiam sequitur. 104
Varro emendatus. 118
& illustratus. 14,62,96
Vasum secunda declinat. 4,5
Venæ tactu, valetudo inquiritur. 1
Veneris templum in theatro. 166
Ventilare. 148
Versis armis pugnare. 149
Vertumnus. 7
Vestales casu obuiæ noxiorum pœnam protollebant. 156
Vestes gladiatorum in genere. 139
Vestimenta accubitoria. 12
Vestis conuiuialis. 11,12
Veterani gladiatores. 60
Victores gladiatores. 136
Victores manū in vulnus mittebāt. 161
Vini reliquiæ pincernæ puero dare ritu prisco. 172
Vitæ vana spes. 73
Vitalis fons curarum igne interficitur. 1
Vmbo pelliceus. 124
Vocata opera. 4
Volones. 138
Voluntarij gladiatores. 84,92
Vsuraria seruorum libertas. 6

FINIS.

## PRIVILEGII CÆSAREI SVMMA.

MAXIMILIANI II. Romanorum Imperatoris semper Augusti, publico edicto cautum & sancitum est, ne quis cuiuscunq. status, gradus, ordinis, aut conditionis fuerit, quacunque sacri Romani Imperij & ditionis eius fines patent, quæcunque probatorum auctorum opera, quotquot vel hactenus nondum impressa, vel ab aliis quidem impressa, nouis autem deinceps scholiis, annotationibus aut commentariis aucta & illustrata, Christophorus Plantinus ciuis & typographus Antuerpiensis primus typis procuderit, intra proximum sexennium à prima cuiusque operis aut voluminis editione, vllo pacto eiusdem vel diuersi characteris forma excudat, aut excusa ab aliis, intra eiusdem Maximiliani & Imperij fines vendenda importet, seu quouis modo distrahat manifestè vel occultè, sub pœna decem Marcharum auri puri, quarum dimidia fisco Imperiali fraudis vindici, residua verò pars prænominato Plantino cedat, præter librorum ad imitationem impressorum amissionem, quos idem Plantinus vbicunque locorum nactus fuerit, per se vel suos, adiumento Magistratus loci, vel citra, propria auctoritate sibi vindicare, inque suam potestatem redigere poterit. In cuius rei fidem ipsi Edicto manu subscripsit, & sigillū apponi iussit Cæsarea Maiestas. Datum in ciuitate Viennæ Austriæ, die vigesima prima mensis Februarij, anno Domini M. D. LXV.

Subsig.

*Maximilianus,*

Ad mandatum sacræ
Cæs. M. proprium

Haller.

## PRIVILEGIVM GALLIARVM REGIS.

CAVTVM HENRICI III. *Galliarum Regis Priuilegio, ne quis in omni eius regno libros totos, aut in parte, quoscunq; Christophorus Plantinus aut nouos excuderit, aut veteres, sed correctos siue illustratos, aut adnotatos, eosce iterum excudat, excudi faciat, aut excusos vendat. idque intra sexennium à cuiusq. libri editione. Id autem hoc fine, vt ne idem Plantinus, laborum suorum, sumptuúmque meritissimo fructu priuetur, cogatúrq. tandem intermittere aut omittere laudabile suum munus, cum detrimento reipub. litteraria, & doctorum. Qui contrà fecerit, sciat paratam librorum confiscationem, aliásque pœnas siue mulctas, quæ Regijs Edictis continentur. Cum lege tamen, ne iidem libri quicquam contineant, quod vel Religioni Catholicæ Apostolicæ Romanæ, vel huius Regni Statui aduersetur. Atque huius Edicti exemplar cùm fronti aut calci cuiusque operis apponetur, nullus typographorum siue bibliopolarum vllam ignorantiæ caussam prætexat. Datum Fontibellaquæ, quinta Augusti.* M. D. LXXXII.

*Signat.*

Per Regem

*De Neufville.*

SPECIAL 87-B
23275

THE GETTY CENTER
LIBRARY